

CANCEL:
MARTIS B:
1717:



*

Zu 00

Se

14
MARIAM. I.
REGINAM. ANGLIAE.

QVIBUSDAM. POLITICIS. ET. MORALIBUS. OBSERVATIONIBUS.
ILLUSTRATAM.

INDVLTV. INCLYTAE. FACVLT. PHILOSOPH.
IN. ACADEMIA. PATRIA.
SUB. PRAESIDIO.

VIRI-PRAECELLENTISSIMI. AMPLISSIMIQUE.

DOMINI
M. AMANDI. GOTTHOLD.
FEHMELII.

FACULTATIS. PHILOSOPHICAE. IN. ACADEMIA. LIPSIENSI.
ASSESSORIS. ET. COLLEGII. EQVESTRIS. QVOD. BRAN-
DENBURGI. FLORET. DIRECTORIS. VOCATI.

FAVTOVIS. AC. PRAECEPTORIS.

SUI. COLENDI.

D. IV. MARTII. MDCCXIII.

H. L. Q. C.

PLACIDAE. ERUDITORUM. CENSURAE.
EXPONET.

AUTOR. ET. RESPONDENS.

CHRISTIANUS. GOTTLOB,
SELIGMANN. LIPS.

L.L. STUDIOVS.

TYPIS. CHRISTOPH. FRIDERIC. RUMPF.



I. N. J.

P R Æ F A T I O.




Deliberanti mihi in vasto ac spatioſo materiarum apparatu, eequod potiffimum Thema ſub diſputationis in eudem vocarem, Hiſtoricum cumprimis meo arrifit palato. Fertiffimo enim hoc diſputationum ſeculo fluctuavit certe animus ad edendum aliquod ſpecimen Academicum maxime proclivis, quod, extantibus tot ſpiſſis diſertationum voluminibus, Cenſuræ exponeret Eruditorum.

Etenim, ſi ea potiffimum juvenibus ſunt addiſcenda, quæ viris uſui futura ſint, teſte Ariſtippo apud Laërtium, haud inepte me feciſſe arbitror, quod ejuſmodi diſſertationis argumentum ſelegerim, e quo aliqua ſtudiis meis utilitas expectari poſſit. Et quid quaſo Politico olim futuro inter propædeuticas diſciplinæ magis excolendum, aut quid majorem eidem uſum dare poteſt, quam Hiſtoria? Ea ſcilicet eſt, quæ omni jure ſcaturigo appellatur unde prudentia politica quam maxime haurienda venit, ita ut accuratori animi lance viciffitudines Imperiorum, omnia geſta factaque principum eorumque Conſiliariorum & diverſos rerum eventus penſitaturus exoptatiſſimos fruſtus, qui in commo- dum patriæ redudent, certiffime ſibi polliceri queat. Scilicet Hiſtoria tam arcto vinculo cum Politica cohæret, ut altera alteri ſplendorem atque amœnitatem mutuo quodam commercio communicat. Cum enim in toto Hiſtoriarum pelago nihil actionis, nihil viciffitudinis occurrat, quod non ad principia ſua politica ethicaque reduci queat, facile apparet, quantum nitor ac vivacitas hiſ diſciplinæ ab Hiſtoria accedat, adeo, ut omnia



Politicoꝝ placita, quibus vasta volumina scatent ultra grillificationum atque Platonicae Reipublicae existimationem apud prudentes assurgere ne queant, nisi ex continua exemplorum serie praxin ostendant. † Hancviam si quis in studio politico occupatus ingressus fuerit, nullum est dubium, quin solidiori instructus prudentia insignia Rei publicae emolumenta adferre possit. Ex iisdem etiam fontibus Juris Publici studium fluit, quod nisi ex Historiae promptuario praecipua subsidia depromat inane atque nullum erit. Brevissimis, itaque me illud dixisse arbitror, de quo prolixo apparatu ab aliis actum est, nec opus esse existimo pluribus eam in rem commentari, ne crambem non bis sed millies coctam adponendo spatium utiliori tractationi destinatum praeripiam. Hoc autem studiorum genus, quod Politicam atque Historiam artissimo vinculo connexam sistit, Principibus etiam maxime conveniens & Imperantibus summe necessarium est, adeo, ut sine eo felix in administranda Republica successus nunquam sperari possit. Equidem lubens fateor, Mathematicas aliasque disciplinas principibus non solum insignem conciliare splendorem, sed etiam ipsis in gerendis rei publicae fascibus maximam praestare utilitatem; nihil tamen in toto Eruditionis campo Imperanti magis congruum his studiis, quae supra conjungenda diximus, inveniri poterit. Egregie hac de re doctissimus Autor Tractatus de l'Art de veüisir à la Cour pag. 53. ita disserit: *La science la plus aisée pour eux, (Princes) & qui peut le plus servir à former leur prudence politique, c'est la connoissance des plus belles bissoires des Etats & des actions qui ont plus de rapport aux leurs; c'est par là qu'ils connoîtront sans flatterie la vie du monde les mœurs & les costumes des Nations, les divers etablissemens des Etats, leurs progresz, leur fin, & les causes veritables de l'acroissement & de la ruine des Empires.* Hoc cum sit in propatulo, praestantissimos quoque viros, quibus summorum principum iuventus formanda tradita fuit, faciliorem ad prudentiae politicae adyta viam non prospicientes eam methodum amplexos esse novimus. Ut unicum e multis producam, nostris inprimis temporibus luculento exemplo celeberrimus Bossuetus id ipsum comprobavit, cuius cura, quantum Ludovici XIV. Princeps hereditarius in studiis politicis profecerit affatim clarum est. Hoc studiorum genus palmam praeripit speculativis disciplinis, quae plerumque obtusam atque obnubilatam mentem reddentia exiguum in administranda republica usum ostendunt. Hoc studiorum genus Elisabethae Angliae Reginae singularis pru-



prudentiæ laudem conciliavit atque subditorum cultu exinde antecel-
 lere fecit Jacobo I. successori suo in speculativa eruditione maxime oc-
 cupato. Hinc etiam antiquos fabularum architectos haud sine causa,
 Saturnum speculativorum Deum a Jove filio suo regno expulsum fin-
 xisse cenfeo : ut nimis inde cognoscat, Rempublicam non a severo
 & speculationibus obnubiato viro, sed serena & excitata mente omnium
 optime administrari. Cum itaque Princeps hujusmodi eruditione,
 ita quemadmodum halitu, carere nequeat, & illis quoque, qui olim
 consiliis ipsis assistere student, curæ cordique esse debere facile adpare-
 bit. Imo majori etiam industria excolenda esse iis hæc studia cen-
 seo, cum eorum prudentiæ sæpissime res committantur, in quorum fe-
 lici successu & Principis & totius Reipublicæ salus ponitur. Quoni-
 am autem in Academicis ad futuræ vitæ usum quam maxime est respici-
 endum ea in primis sunt addiscenda, quæ scopo tam bono accommodata
 esse possunt. Itaque & impræsentiarum hujusmodi generis Thema
 mihi eligendum duxi, quod non in tricis atque spinis versaretur specu-
 laivis, ultra quas non adeo multos in hujusmodi occasione ascendere vi-
 demus, sed quod ad primum statim intuitum se utilitate aliqua com-
 mendare queat, qui scopus unice iudustriæ atque eruditioni nostræ præ-
 fixus esse debet. Cum vera Anglorum res gestæ, recentiorum imprimis
 temporum, nobis in nuce quasi exhibeant, quæ cætera regna vix
 conjunctim ante oculos ponunt, majorem præ reliquis huic Historiæ
 parti non sine aliqua voluptate industriam impendere soleo. Occurrunt
 enim in illis tot tamque variæ rerum vicissitudines, tot prudentia earum
 ob causam concepta atque felici partim, partim infeliciori successu in ef-
 fectum producta politicorum consilia, tot insperati rerum bellorumque
 sæpissime eventus, tot prudentissimorum etiam errores politici, tot sine-
 sta ac inaudita mortis supplicia, quibus summos sæpissime & de Repub-
 lica bene meritos imo ipsos imperantes plectere maxime inconstans Angli-
 cana gens haud erubuit; quæ res omnes ac singulæ amplum certe va-
 stumque meditationum aperierunt campum. In hoc ipso Anglicano
 Amphitheatro Maria I. stratagematibus suis politicis cum in civilibus
 tum sacris rebus scenas tam sæpe atque subtiliter mutare calluit, ut ejus
 regimen aliquid singulare præ cæteris habere videatur. Quapropter
 non levi momento ad accuratiorem ejus considerationem inuitatus
 qualescunque ingenii vires in isto argumento periclitari volui. Ut au-

✻ ✻ ✻

tem eo tutius in isto stadio versarer non confirmatis adhuc viribus, ductum B. parentis imprimis sequi, eamque amplecti methodum placuit, qua ille primum in hac Academia studiorum specimen sub præsidio B. D. Alberti exhibens, ac deinde etiam in aliis Dissertationibus usus est. Sicut enim jucundissima ejusdem in omnibus mihi solet esse recordatio, ita & hac in parte ejus exemplar ut aliquantisper exprimere audeam, filialis reverentia erga beatissimi Parentis manes suavit. Quod si itaque aliquid alieni ab ea methodo, qua hodie publice differentes uti solent, deprehendat L. B. non intempestivæ sapientiæ aut alicui novitatis pruritui attribuet, sed pro benevolentia sua, sicuti de ratione scribendi, ita etiam de tractatione ipsâ judicabit. Immatura quædam esse & non satis costâ judicio facile augurari possum; Sed ætas veniam scribenti conciliabit, cujus etiam sunt fines & spatia, ultra quæ ascendere velle temeritatis signum esset. Vale.

† Conferri eam in rem meretur egregius discursus, quem habet l'Abbé de S. Real Præf. dans Oeuvres mêlées.


Συγ γῶ Θεῶ !

T H E S I S I.


MARIA Angliæ Regina Henrico VIII. ex Catharina Regis Hispaniarum Ferdinandi Catholici filia, chara tunc, sed post exosa Conjuge nascitur D. XV. Febr. Anni XVI. Seculi post Christum natum XVI.

Ἐκθεσίς.

Matrimonia illa, quæ vel ipsis naturæ regulis repugnant, vel una parte invita contrahuntur, infelicem plerumque eventum sortiri liberosque in iis susceptos ex fati singularibus aliquam accipere notam, experientia magistra docemur. In posterioris sententiæ illustrationem adest luculentum exemplum, quod in illustri Stuartana familia plurimî observarunt Scriptores, ex qua licet plures Solum regale Britannicum exornasse sciamus, paucos tamen inter omnes morte naturali decessisse, multos vero iniquam fortunam expertos esse certum est. Atque hoc quidem infortunium unice inauspicato Henrici I. matrimonio, quod cum Mathil-



Mathildi moniali nobili ex domo Stuartana contra hujus voluntatem
 contraxerat, assignant. Hanc enim, cum jam in eo esset, ut thalamum
 regium conscenderet, tædio affectam *fructum ventris sui diabolo com-*
mendasse, gravissimi testantur autores. a) Quæ diræ quantam poste-
 ris temporibus efficaciam ostenderint jam observavimus. Prioris
 autem asserti quænam sit autoritas, Maria nostra fati suis affatim de-
 claravit. Nata est illa e matrimonio non solum maximis turbis fluctu-
 ante, sed tali etiam, a quo ipsa natura abhorreere videbatur. Nacta
 nempe est Patrem Henricum VIII. quem ab aliis laudibus, ab aliis
 contumeliis affectum legimus. Sed non opus est ut diversas Autorum
 sententiâs miremur aut in conciliandis iis multura & temporis & ope-
 ræ collocemus. Scilicet ea plurimorum historicorum solet esse indoles,
 ut affectibus suis nonnunquam indulgentes talia proferant judicia, quæ
 impellentibus imprimis opinionibus præconcepitis atque suadente par-
 tium studio non usquequaque veritatem ostendant. Quamvis enim
 non negemus & laudis & vituperii in Henrico nostro apparere argu-
 menta, nonnullos tamen Scriptores ex utraque parte modestiæ limites
 transgressos esse, prudentioribus facile constabit. Illud ipsum imprimis
 in Polydoro Virgilio & Gregorio Leti utroque in vituperiis Hen-
 rici occupatissimo observamus, quorum alter illud unice sibi proposuisse
 videtur, ut Henrici VIII. & Cardinalis Volsæi acerbissima insectatione
 Mariæ Reginæ gratiam demereretur, alter intempestivum præ posteris erga
 religionem amoris distamen agnovit. Media via, id quod boni Hi-
 storici est, incedere videmus eruditissimum Autorem Annalium Angli-
 corum, quem Goodwynum esse novimus, ejus monumenta & virtutem
 & vitiorum mentionem facientia utrorumque nativa sistunt pretia.
 Ita autem de Henrico nostro narrat Lib. I. *Henricus ad regnum delatus duo-*
decim annorum adolescens multis animi corporis dotibus illustris. Ad
staturam quod attinet procerus, facie item venusta, & forma per omnes
ætatium gradus usquequaque plane regia, ingenio docili, & ad literas
suapte natura satis propenso donec voluptates a studiis imtempestive avoca-
verint, animo deinde magno atque ad fortitudinis juxta ac munificentiæ lau-
des aspiranti. Multum autem ad ineuntis adolescentiæ virtutes con-
 tulisse laudabilem educationem, ejus magnam habebat curam Parens
 Henricus VII. prout eam deprædicat illustris Baco de Verulamio in vita
 Henrici VII. p. 112. 9. opp. Impetrabat prudentissimos juventutis suæ
 rectores,



quos Burrhos & Senecas non immerito dixeris. Quantus vero in eo ad felicitatem gradus positus sit nemo nescit. Scilicet ætatis lubricum sub solerti inspectione præter vehere scopulosque ad quos non impingere difficillimum est, feliciter declinare possunt Principes juvenes. b) Verum sicuti undæ remotis obstaculis majori vi atque impetu provolvuntur, ita ferme etiam juvenibus, præcipue iis, qui aliquam a nativitate habent eminentiam accidere videas, ut remoto custode majori nisu in vitia ruant atque luxurient. c) Patuit id ipsum in Henrico, qui cum eam ætatem attigisset, quæ verecundiam egregiæ virtutis custodem plerumque solet exuere, vere suo usus ingenio in ea prolapsus est vitia, quæ superiorum virtutum laudes luxus & sevitix maculis non leviter sordarunt. Ut enim taceam plurima indignorum tanto fastigio vitiorum monumenta, quæ prolixius enarrare nostrum non permittit institutum; inconstantix, libidinis & crudelitatis maximæ eam accusare poterunt matrimonia, quæ infelicitate sua satis superque nota esse existimo. Ad hæc affectibus indulgebat, ut excœcata plane mente in læminini sexus destructionem, a quo salacitati tamen avidissimè pabula petere solebat natus videretur. Catharinam Hispanicam, post 20. annorum conjugium, amore Annæ Boleniæ flagrans absque gravibus rationibus, nisi eas ab affectu ferventissimo erga Boleniam petere velis, non sine totius orbis admiratione repudiabat. Nec diurnus fuit importunus erga Annam Amasiam corona post divortium Catharinæ exornatam amor, sed in odium vehementissimum mutatus ob levem suspensionem capite ornatissimam sœminam privabat. Perversis cupiditatibus, si semel quis fræna indulerit, rationis dominium brevi excussum videbit. Expertus est illud Henricus noster, qui altero statim post cœsam Boleniam die Johannam Seymuriam in cruentos amplexus traxit, non pensitans quod nam orbis universi de tanta inconstantia futurum sit iudicium; nec feliciorum amoris eventum sensisset ista, nisi DEO præveniente ex partus difficultate sanguinolentis Regis manibus erepta fuisset. Dignius regali culmine matrimonium post Seymuriæ fata contracturus videbatur, Annam Principem Cleviæ sibi in conjugale consortium deposcens, quam vero cum vagabundis cupiditatibus convenientem non deprehenderet, brevi tempore post a se dimisit læcum in thalamo regio compensante Catharina Howarda, quæ pro ista erga Regem submissione accusationibus malevolorum suppressa sub carnificis securi expi-



expiravit. Vestigia cruore undique conserpta deterrere debebant Catharinam Baronis de Parre viduam; verum tantus erat regalis sceptri fulgor, ut acie mentis habetata nihil infortunii extimescens desiderantis Regis amplexibus se lubentissime traderet. Incepta erat cum Catharina vita conjugalis, cum Catharina erat finienda, adeo feliciter cesserat amor regis ultimæ uxoris, ut elusis per prudentiam hostium machinationibus regis mortem, vitam autem tunc demum suam videre posset. Quæ regis fuerit indoles ex his satis apparet; nunc divorcium ipsum cum Catharina Arragoniensi, quanta ac quam multa crudelitatis specimina produxerint dispiciemus de Mariæ nostræ matre paulo pressius agentes. Fuit ista Ferdinandi Catholici Regis Hispaniarum filia 200000. Ducatis dotata in Angliam accedens, femina gravis, indole subtrifli & severa, quæ aliquid de regionis suæ genio præ se ferebat. Nupsit initio Arthuro Henrici VII. filio primogenito a quo in vere ætatis extincto paulo post vidua relicta est. Collapsa videbatur aliquantisper spes Henrici VII. quam de formidabili Hispaniæ, Burgundiæ & Angliæ confœderatione conceperat. Verum sicuti magnis atque sublimibus animis raro deesse solent consilia, ita Henricus VII. quod in Arthuro amissum videbatur in Henrico filio secundo restitui posse existimabat. Suasit igitur amor erga Principem egregie dotatam, ut eam in Anglia tamdiu reservaret, usquedum Henricus VIII. decimum octavum ætatis suæ impetraverit annum. Hunc itaque postquam attigerat Henricus, fratris relictam viduam, in qua spes ampla hereditatis eximie & aliorum emolumentorum posita erat, in matrimonium accipit, quod fœcundum etiam per 20. annos absque publicis quærelis duravit. Non levia autem consiliis Henrici VII. impedimenta obstare videbantur ex affinitate orta, quæ toti gravissimas in orbe excitarunt disceptationes. Magna apud Regem autoritate tunc temporis pollebant duo Præsules Warhamus Episcopus Cantuariensis & Foxus Wintoniensis, quorum alter matrimonium tanquam inhonestum & Deo disceptans dissuadebat, hic legitimum clamitabat. Recurrendum; erat ad autoritatem & effatum Oraculi Romani, quod nunce poterat tantas componere lites, ab hoc per bullam die 26. Dec. 1503. legitimum pronuntiabatur matrimonium. In serinio pectoris papalis non purpureis galeris tantum, sed etiam privatis quibusdam affectibus locum relictum esse, Julium tunc temporis Pro Petrum non leviter
B
indi-



indicasse non absque re licet conijcere. Scilicet commodum Papatus omnibus aliis considerationibus anteponendum tale iudicium requirere videbatur. Quemadmodum enim Pontifex intensus Ludovici XII. Galliarum regis hostis d) nihil omittebat ad confirmandum fœdus contra regem istum, quod ob conjunctionem trium regnorum, Hispaniæ, Burgundiæ & Angliæ formidabile erat; ita martialis ejus indoles lubentius Petrum in Oliveto, quam in Cathedra representabat, ut facile induci potuerit ad confirmandum id, quod secururos Angliæ reges, ad stabilendam auctoritatem Papæ obstringere debeat. Verum quam mirifice Deus consilia hominum confundere iisque eventum intentioni plane contrarium impertiri possit in hoc negotio apparuit, per quod ad destructionem auctoritatis Papalis in Anglia initia facta fuisse postera tempora docuerunt. Warhamus Episcopus Henrici VIII. mentem aversione erga illud matrimonium replevit, ut facta per notarium protestatione se voluntati regis opponeret. Verum demortuo patre animum mutavit atque urgentibus regni statibus, ut certam resolutionem caperet Catharinam conjugem sibi delegit. Atque hoc etiam conjugium felicem procul dubio impetrasset finem, nisi fraudes malevolorum regis animum turbassent. In eorum numerum quoque Cardinalem Volsejum referre non dubito, qui commotus privato quodam erga Imperatorem Carolum V. odio omnium primus Regi de repudianda Catharina consilia suggestit. Nec defuerunt insidioso animo acutissimæ fraudes, subornabat enim Complandum Episcopum Lincolniensem Henrici Confessionarium, ut in Regis conscientia turbas quasdam ob hoc eum Catharina matrimonium excitaret. Causa autem hujus Volseji erga Imperatorem odii inde potissimum profultasse videtur, quod Carolus Cardinalis petitoriis, quas pro commendatione ad dignitatem Papalem, (vacabat enim tunc temporis mortuo Adriano VI. sedes Romana) dederat, non ex voto respondisset. Ira itaque occæcatus Volsejus hæc Imperatori minas regessisse dicitur: Si Carolus juxta petitum sua commoda non curaret, se commoturum esse tantas inter Christianos Principes turbas, quantas per Seculi spatium nemo observaverit, si vel maxime etiam totum Angliæ Regnum esset perdendum. Nec fulgorem ex pelui, quod ajunt, extitisse minas has subsequenter docuerunt tempora. Benevolas enim statim Henricus infusurranti Volsejo præbebat aures, maximam nempe in varietate delectationem quaerens. Facilius etiam hæ Cardinalis representationes præsumunt obti-

✻ ✻ ✻

obtinebant scopum, accedente alio scrupulo, quem Rex inter Lectionem S. Codicis ex Levit. XX. v. 21. conceperat, ubi hac extant verba: Quisquis acceperit uxorem fratris sui, ille sine liberis esto. Hæc legens atque simul mortem filiorum expendens vehementer commotus est, atque exinde magis quam antea diuortium urst. Auxit scrupulum Thomæ Aquinatis sententia, quæ leges in Levitico comprehensas circa prohibitos matrimonii gradus æternas atque immutabiles esse pronunciat. Colligere itaque iussit Rex sententias Episcoporum Angliæ, qui unanimiter excepto Episcopo Roffensi Fischero illud matrimonium maxime illegitimum & peccaminosum iudicabant. Accesserunt aliæ rationes ex privatis regni commodis, quæ expedire nimis prolixum esset. Habeteas *Burnettus in Historia sua Reformationis Anglicanæ.* e) Totius controversiæ cardo in eo versari videbatur, an copula carnalis Arthuri & Catharinam intercesserit, quod alii negabant, alii ex plurimis signis asserere susceperant. Affirmativam imprimis tuebatur statim post mortem Arthuri Regis Hispaniæ Legatus varia secta sedulo colligens, ex quibus matrimonium tum prima nocte tum etiam alio tempore consumtum fuisse evinceret. Imprimis momentum aliquod affirmantibus asserere videbatur disterium Arthuri Principis altero post nuptias die in causam sitis vehementis prolatum, scilicet se præterita nocte in medio Hispaniæ pernoctasse, quæ & utique calida esset regio. f) Contrarium vero tuentes matronam quandam nocte connubiali concumbentibus interpositam fuisse asserunt, quam, ut allegoria Principis continetur, cum mari Hispaniam & Angliam dividenti comparare posses. Longe itaque dique de isto divortio disceptatum fuit atque variæ utrinque prolatae sunt rationes. Deferebatur demum res ad Tribunal Vaticanum a quo cum separationem ex voto impetrare non posset Rex, post varias agitationes, quas hæc recensere longum foret, jugum Papale abjecit, atque accepto capitis Ecclesiæ Anglicanæ titulo, per auctoritatem Parlamenti & Cleri Anglicani divortium, non obstante continua Regiæ protestatione, publice statuendum curavit. Quantum Catharina ista sententia perturbata atque affecta fuerit res est iudicatu facillima. Etenim durius eam Rex post divortium tractare incipiebat, atque omni fere privata satellitio, adeo, ut nemo ad serviendum ipsi admitteretur, nisi qui iurejurando pollicitus esset, se Catharinam nomine Principis Walliæ salutare velle, hos vero cum Catharina recusaret, nec ii concedebantur,



tur, quos illa deposcebat, ita plures dies sine aliquo servitio transegit. Accertissime diutius durasset ipsius calamitas, nisi mors illam e vita hac ad alteram evocasset, cum curis confecta quotidie mortis occuparetur meditationibus atque pietatis exercitiis. Cum jam in agone constitutus esset, titubante manu, nutantibusque jam sensibus scripsit ad Henricum epistolam tenerrimi affectus interpretem. g) Ex hoc infelici conjugio, post duos filios, nata est Maria nostra, cujus fata paulo post audiemus. Quomodo autem Henricus reliquam vitam transegerit in conjugio, in superioribus monitum fuit, reliquorum autem negotiorum, quæ aut Politiam aut Religionem spectant, hoc in loco ne mentionem faciemus nostri instituti ratio prohibet, prolixiorum eorum enarrationem præ omnibus aliis petere licebit e Larreji Historia, quæ egregio apparatu cuncta huc facientia sistit. Tandem mortis *καίφραγος ὀδόντες* Regem, qui tot homines morti opimam victimam tradiderat arrodentes coram Regis Regum Tribunali sistebant. Decessit autem post turbulentum 38. Annorum regimen d. 27. Jan. 1547. Liberos præter Mariam reliquit Elisabetham ex Bolenia & Eduardum ex Seymuria natum. Cum e vivis esset excessurus inconstantiam matrimoniorum suorum hæc Anglicanis comprehendisse dicitur rhythmis. h)

Three Kates two Nans and one Jane I wedded
One Spanish, one Dutch and four English Wives.
From two I was divorc'd, two I beheaded,
One dy'd in Ch'bed, and one me survives.

a) Vid. Ziegl. Theat. Temporis p. 74.

b) Veritable Politique des Hommes de Qualité p. 17. Saavedra Symb. II. p. 119. it. la veritable Education d'un Roy Paris. 1695. Reinking Polit. Bibl. I. II. Axiom. VIII.

c) Cherbury in the Life of King Henry the Eight in the Compleat History of England. Vol. II. p. 1. seqq. Exempla regum in pejus mutatorum vid. in Forstneri Not. Pol. in Tacit. Annal. L. VI. p. 897

d) Secret History of England p. 179. it. Varillas Histoire de Louis XI.

e) Burnet Hist. Reformat. P. I. p. m. 23.

f) Echard History of England p. 614. He told to the Gentlemann: He had been in the middle of Spain, which was a hot Country and his Journey had made him thirty and if he had been in so warm a Clime he would have been drier than himself.

g) Leti in vita Elisabethæ P. I L. 1.

h) Anon. Hist. Henrici VIII.

THESIS




THESIS II.

Princeps hæc nostra forma erat non adeo eleganti, sed ea tamen, quæ majestatem aliquam præferens non ingrata esset intuentibus. Ingenio subtristi magisque in severitatem, quam comitatem inclinanti.

Excerptis.


Multum interest eorum genium, quos paulo penitus cognoscere velis, indagare, atque actionum inde judicium petere. Cum ita que secutura tractatio ad aliquam cum Maria conversationem nos deducat, non inutile nec ingratum erit personæ ejus aliqualem delineationem præmittere. Egregium est in imperante externum corporis habitum ita cum mentis vigore conjunctum videre, ut ex utroque aliquid singulare resulgeat, quod intuentium oculos perstringere possit. a) Solet enim forma, nescio qua arcana vi, animos afficere atque juxta admirationem propius contemplantes in sui cultum jucundissimo imperio requirere. Interim tamen majestas non intra externæ formæ limites tantum continetur sed sæpius duplicatis quasi radiis ex animi virtutibus resulget, licet externa species non respondeat. Observare id ipsum in Maria licebit, quam nullus ab externa forma splendor commendare poterat, quin potius in ea si Scriptori Gallicano *Mezerau* fides habenda, vultus corporis & animi imperfectiones expressit. Verum alios modestius de ea sentire videmus, quorum mentem in thesi exprimere conatus sum. Limatum imprimis videtur atque concinnum *Bakeri* b) judicium, quod de ea fert, est autem tale. *Hoc unicum de Maria asserere licet. Non erat inter venustas referenda, sed tamen absque deformitate. Si actionum conditionem species, in multis erat deformis, non tamen ingrata.* Non adeo venustam fuisse ex eo etiam apparet, quod Thomas Seymourius Angliæ Archiballivus conjugium cum Elisabetha intendens hanc Regiæ præferbat. Genium autem atque indolem animi nata erat matri magis, c) quam Patri convenientem. Ab Anglico quodam Scriptore ita describam legimus: d)



*Indolem habebat generosam, maxime tamen melancholia corruptam que naturalis ipsi erat; aucta autem non leviter per varias vite turbas, quas tam ante, quam post promotionem in solium Regale perpassa erat, adeo lienosaficeret, atque Hispanicam praeferret morositatem. Quemadmodum autem temperamentum homines magno impetu ad actiones plurimas, quas ratio iniquas deprehendit, impellere solet, ita fere accidisse videas Mariæ, quæ (uti in tali temperamento plerumque observamus) iudicio pollebat insigni, tamen inquietos affectuum motus secuta in crudelitatem prolabebatur ob quam a plerisque scriptoribus taxatur. Larreyus ita de ea sentit. e) *Digne fille Henri VIII, encherissant même encore sur ses cruautés: ou plutôt digne postérité de Ferdinand & d'Isabelle, dont elle étoit descendue du côté maternel.* Sunt qui eam maximæ impietatis erga patrem accusare volunt suæque assertionis argumenta ex facta quodam petunt, quod ab Autore Gallico f) enarratur: Scilicet ex vindicta erga parentem demortuum ejus ossa eruere, cremare cineresque dispergere jussisse. Simulandi artificem egregiam Mariam exitisse ostendunt plurima facta, quæ tanta sunt, ut nec in Religione ab hypocriticos suspicionem absolvi possit: Cum Parens aliquando ejusdem declarationem circa peregrinationes religiosas, purgatorium & reliquias exigeret respondisse fertur: g) *Que son pere étoit le depositaire de son cœur: qu'il y pouvoit imprimer tels sentimens qu'il luy plairoit: que la profonde sagesse & la capacité extraordinaire de ce Prince, étoient non seulement des guides assez, mais aussi des garans infailibles de son salut.* Adeo callida erat ad demulcendum Parentis animum a cujus voluntate tamen quam maxima averfabatur, quod sequentia tempora docuerunt. Inservire volebat temporibus, quod quamvis in præcipuis prudentiæ regulis censeatur, in religione tamen vix excusationem invenire poterit.*

- a) Conf. Athenæus L. XIII. C. II. p. 566. B. it. Ammiani Marcellini Libr. XXVII. C. XVI. & Pacat. Drepan. in Panegyri. C. VIII. Camerar. Hor. Succif. Cent. III. C. XXI.
- b) Bakerus in the Chronicle of the Kings and Queens of England p. 326.
- c) Leti in vita Elisabethæ p. 157.
- d) Laurenc. Echard History of England p. 756.
- e) Larrey Histoire d'Angleterre T. III. p. 768. de causis crudelitatis ex ambitione plerumque resultantibus vid. Camer. Hor. Succif. Cent. III. C. XXV. confer. Comineum de Bell. Neap. L. V. illustrat id exemplum Ferdinandi Gonzage quem ea ferme ratione describit Delsius in vita Phil. II. L. XV. fol. 703.
- f) Les Memoires du Chevalier de Melville.
- g) Larrey Histoire p. 772. Echard I. C. p. 757.

THE-


 T H E S I S. III.

Educationem non adeo sollicitam nacta est, sed juventutem maximis fortunæ procellis agitatum transegit.

Exbecis.

Non solum in educandis filiis, principum imprimis, maximam curam esse adhibendam a) verum etiam filiarum institutionem curæ cordique esse debere parentibus, clarius est, quam ut nostro iudicio opus habeat. Interim tamen non leves hæc in re committi errores crebra experientia teste novimus. Scilicet cum plerique filias thalamo tantum natas nec gerendis negotiis publicis destinatas existimant, neglecta prudentiæ solidioris instructione, iis tantum rebus adsuæfacere solent, quæ ad externam corporis culturam & ad illaque andos virorum animos quodammodo facere videntur. b) Graciles & junceas filias desiderant, simul autem jejunam relinquunt mentem, nec præclaris virtutum rudimentis illam imbunt. Intenera itaque ætate sunt instruendæ, ut non tantum de omni re prudenter judicare, sed etiam affectuum suorum insultus compescere discant. Hoc enim si omittatur depravatis propensionibus cuncta æcommodata cupiunt. Quæ autem via in ejusmodi institutione sit in eunda prudentissime disserit Celeberrimus Cameracensium Episcopus *La Morbe Fenelon* in elegantissimo tractatu, quem de educatione Filiarum conscripsit, c) item illustrissima Autor *de Reglement donne par une Dame de haute qualité à M. sa petite fille.* d) Quantus inde usus aut quæ incommoda ex utraque parte proveniant ex exemplis imprimis Annali-Anglicanorum cognoscimus, qui admodum celebria seminarum imperia sistunt. Quamvis autem Mariæ Principi deficiente prole mascula, sceptrum Anglicanum destinatum esset, singularem tamen educationis istius curam patrem suscepisse non legimus. Tradita quidem erat inspektioni Margarethæ filię Ducis de Clarence num vero apud eam ad futurum regimen se sufficienter præparare poterit, prudentiores facile dispoient. Magno amore rex eam in primis annis amplexus est, atque etiam Walliam Principem declaravit, sed repudiata matre durius eam tractare cepit. In tenera adhuc ætate varia matrimonia Principi huic destinabat Rex Henricus VIII. Prima consilia concernebant Delphinum Regis Galliarum,

❧ ❧ ❧

liæ, approbante Parente utroque, gerebantur hæc Anno 1518. Pactum illud solvebatur per Confœderationem, quam Rex cum Imperatore inivit contra Galliam, atque juramento etiam Windesoriæ 1522. confirmavit. Violato hoc fœdere, consilia de contrahendo cum Scoria matrimonio proposita fuerunt; verum & hæc evanuerunt, alio pacto suboriente cum Gallia, quo Rex filiam suam ipsi Francisco obtulit, quod etiam confirmabatur Anno 1527. e) Atque huc usque quidem Maria Princeps faventem senserat clementiam fortunæ, cujus deinde usque ad mortem Eduardi fratris pertinacem inimicitiam experta est, quæ eo, adjuvante odio regis, ipsam adegit ut Elisabethæ pedissequam agere cogeretur, uti ab Elisabethæ Biographo annotatum invenio. Sic spinosam esse ad honores viam nec aliquam a fortunæ inconstantia immunitatem habere personas illustres, Maria nostra sensit. Confirmatur animus adversitatibus & corroboratur, ut futura blandientis fortunæ bona majori æquanimitate accipere iisque absque tumore uti discat. Interim id fatendum longas atque diurnas calamitates mentem ferme dejicere atque præclaris rebus suscipiendis ineptam reddere, uti Gallico ferur diverbio: *Une moyenne douleur acquise l'Esprit, mais une excessive le surmonte.* Id quod & Mariæ accidisse credibile est, cujus mens per varias adversitates turbata in crudelitatem sensim sensimque inclinare cepit.

- a) Vid. Forstner ad Tacit. p. 54. & p. 63, seqq. it. Rochefaucault Reflexions Morales p. 318.
- b) Autor tractatus qui inscribitur Les Hommes p. 119.
- c) Education de Filles Paris. 697. confer Anton Guevarr, Epist. Aur. P. I. p. m. 121, seqq. Camerar, Aor. Sucuf, Cent. III p. 181^a seqq.
- d) Paris & Brussel 1706,
- e) Burnet Hist. Ref. Anglic. P. I. L. II.

THESIS IV.

Post divortium Patris publico Parlamenti decreto, tanquam ex incestuoso thalamo prognata spuria declaratur; paulo post autem delentum aliquantisper animum Parentis experitur.

Eusebii.

Tantum poterat vehemens Henrici erga Seymuriam amor, ut liberos ex prioribus conjugijs susceptos sperneret, eorumque memoriam ferme

❁ ❁ ❁

me ex animo delevisse videretur Henricus VIII. Dubus vicibus repetita fuit ista declaratio, cujus in Thesi mentionem feci, primo statim post nuptias cum Bolenia 1534 celebratas a) & deinde post casam Boleniam Anno 1536. hac tamen differentia, ut Elisabetham jam haberet sociam malorum, quæ mentes antea maxime diversas non leviter conciliare videbantur. Est enim illud veluti arcana quadam vi calamitatibus insitam, ut idem patientes suavi vinculo in mediis fortunæ procellis conjungant. Nimirum etiam rigoris signa Henricus erga hanc filiam suam edebat, quæ annum agens XVI. certior de Boleniæ morte facta accessum apud Parentem humillime quærebat. Ei enim (procul dubio a Johanne Coniugo incitatus) denegabat accessum, nec unquam admittendam pronuntiabat, nisi sub certis conditionibus, quæ duræ admodum eo potissimum recidebant: Se autoritatem legum fundamentalium in puncto successionis agnoscere velle. Secundo: se ex thalamo incestuoso natam profiteri; Tertio: se autoritatem Papæ abominari. Articulus prolixius sinit Historia completa Anglicana. b) Diu refragabatur Maria, atque ejusmodi declarationem renuebat. c) Verum durius indies a Rege tractata necessitate compulsa obedientiam ei promittebat, qui subinde propria manu declarationem consignatam Mariæ subscribendam misit. d) His ex voto Regis peractis, admittebatur Maria flexis genibus Patrem adorans tenerrimo uti apparebat affectu ab eodem excepta. Largiores exinde sumptus erogabat Rex tum ad sustentationem, tum ad jucunditatem, domicilium autem ne Londini quidem ei concedebatur, quamvis maxime Cranmerus pro ea intercederet ut ipsi in arce Whitehal degere liceat. Temporibus mutatis, aliquantisper etiam animus regis mutatus videbatur, crebris uti existimo adversitatibus, quas in conjugio vagabundo expertus erat, fractus. Quapropter cum Anno 1544. foedus cum Imperatore Carolo contra Gallos iniisset, atque se ipsum mari committendum consituisset convocato Parlamento regimen in absentia sua administrandum demandabat. In prima autem sessione d. 24. Januarii publice constabatur: Mariam Eduardo, si absque prole moriatur, esse substituendam, huic verò Elisabetham. Hac spe autem Maria rursus privabatur per Testamentum Eduardi VI. sub cuius regimine non mitiora habebat fata. Prohibebat Eduardus Rex, ne sacrificium Missæ in ædibus Mariæ celebraretur. Bucero Episcopo Cantuariensi cura informationis in reli-

C

gione



gione reformata tradita fuit, sed firmiter Maria in proposito perseveravit, præcipue cum legatos Caroli Cæsaris & Regis Galliarum strenue sibi assistentes videret, sic magis magisque Regi exosam factam fuisse facile iudicatu est.

-
- a) Compleat History of England Vol. II. p. 174. & p. 109.
b) Vol. II. p. 195.
c) Leti in. vit. Elisabeth, p. 112. seqq.
d) Leti I, c. P, I, II. Lib. integram exhibet;

T H E S I S. V.

Per Testamentum Eduardi VI. instigante imprimis Northumbriæ Duce, a successione excluditur atque Janæ Grajæ corona regia destinatur.

Exhibet.

Testamentum illud non absque gravibus contradictionibus sancitum fuisse plurima eorum temporum monumenta loquuntur. Opponebant se plerique ex Senatu Sanctiori nec Crammerus in subscriptionem consentire voluit; verum potentia & minis Northumbriæ Ducis & clamoribus Jure Consultorum, sicuti reliqui omnes, commotus tandem subscripsit. Plures circumstantias quas heic afferre brevitatis studium non permittit, exhibet Echardus a) Nec deerant Northumbrio variaz causæ sub quarum prætextu Successionem Janæ Grajæ urgeret, quæ etiam publicæ proclamationi adjungebantur. Præcipuam inter eas assignatam invenio; quod timendum sit, ne istæ duæ sorores Regis Maria & Elisabetha ad regnum delatæ exteris Principibus nubentes nationem Anglicanam jugo sedis Romanæ subjicerent. b) Præomnibus itaque jus Successionis competere Ducissæ Suffolciensi Henrici VIII. Sorori, quæ quamvis mascula careret prole, filiam tamen jus ad regnum sibi vindicare posse, utpote in isto natam, educatam atque elocatam. Videbatur præterea partibus Grajæ amor religionis reformatæ favere, quæ felicem impetratæ sub Eduardo Conscientiarum libertatis propagationem promittere poterat. Erat autem ista Johanna Graja Henrici VIII. ex sorore Neptis



ptis Filia Ducis Suffolciensis egregiis & corporis & animi dotibus illustris, studiis etiam atque optimarum artium scientia singulariter exculta, adeo ut græcam linguam, in qua D. Elmerum Præceptorem habuerat, egregie calleret; uti prolixius ostendunt Autores gravissimi Principem optimam splendidissimis laudibus ad cœlum extollentes, c) quas ipsi hostes ei denegare non possunt. d) Sceptrum sibi delatum accipere renuebat, se majorem ex studiis capere voluptatem publice professus; Verum persuasionibus atque importunis suorum consiliis victa e) tandem coronam in suæ infelicitatis certissimum pignus accepit. Ambitio Ducis Northumbriæ, instar ingentis turbinis levia Janæ vela agitans omnia consilia suggestit, quæ ad stabiliendam ejus auctoritatem atque dignitatem regiam facere debebant. Mors Regis per aliquot dies jussu Ducis hujus supprimebatur, quo consilio sublimioris prudentiæ specimen edidit. Hac enim ratione consilii expediendis præstantior datur occasio, id quod jam a multis retroseculis observatum fuisse historicorum monumenta innuunt. Post mortem Augusti idem accidisse testatur Tacitus. f) Sic Christiani Oldenburgici Comitis in urbe sua a Saxonibus obsessi mors, sicuti agonizans ipse præceperat, miro studio celata est, donec hostiles copiæ moræ tædio, quod futurum ipse prospexerat, dilaberentur. g) Et credo felicem Northumbrii conatus nacti essent eventum, nisi malevoli, quos vitæ ante actæ imprudentia sibi ipsi excitaverat clanculum adversus eum insurrexissent, uti paulo post dicendum. Interim Grenowtum petens Prætozem Londinensem (Lord Major) & sex senatoribus, quos Aldermannos vocant atque duodecim ex primariis civibus ad se accersibat eosque ostensa regis voluntate ad juramentum Janæ præstandum partim minis partim promissis adegit: h) Sic in vado rem esse confisus ingenti cum pompa Janam Reginam publice proclamare jussit. In solemnitate autem exoptata auspicia deerant, quorum signa alias ex acclamationibus populi desumere solemus. In hoc autem cum major appareret curiositas, quam lætitia, tristitia infelicitatis suæ omnia Graja capiebat. Id ipsum iram Ducis ambitiosi excitasse facile licet colligere, præcipuo, si attendas rigorem, quo in hominem plebejæ sortis Gilbertum Pot animadvertibat. Hunc, cum paulo inconsideratus de dejana locutus esset, comprehendere, in Turrim deducere & paulo post auribus privare jussit. Quod supplicium licet in hominem vilem statutum, crudelitatis tamen, cujus jam ante plurima extabant specimina,



signum exhibuit nec levia futuræ desertionis & odii semina sparfit, quæ & ipsi & novellæ Reginæ perniciosam dedere messem. Nosse debebat Dux ut prudens aulicus: Vana a scelestis, dicta a maleficiis differre quod ait Tacitus. i) Sic a levibus sæpe rebus magna oriuntur mala. Ægre ferebat populus hoc supplicium, atque hoc ipso admonitus pristina Insolentia Northumbrii documenta tacite secum revolvebat, quæ oblivione sepulta mansissent, nisi ipse eorum refricasset memoriam puniendi impertinentiæ plebejæ factum tanquam capitale erga statum crimen. Sic rigor qui suo tempore in republica non levem habet usum, in maximam degenerare potest imprudentiam. Quod egregie observat Larrejus ita differens k) *Larigueur n'est bonne, que lors qu'on a des forces pour la soutenir, & comme elle est toujours odieuse, elle ne manque jamais de soulever ceux qu'elle ne est pas capable de soumettre.* In maxima itaque calliditate, qua pollebat Dux iste plurima omisit, quæ solidioris prudentiæ regulæ a ministro aulæ requirere solent l) Quemadmodum enim Politica cum Morali adeo arcto vinculo connectitur, ut sterilis illa atque inanis absque hac habeatur; ita nemo in administranda republica veram prudentiæ laudem assequetur, nisi qui affectuum suorum imperium prole compescere didicerit, quod requisitum tam necessarium, tam egregium Northumbriæ Duci defuisse plurimæ docent actiones, quarum aliquæ infra recurrent.

-
- a) History of England p. 749.
b) Echard History p. 754.
c) Larrey Histoire d'Angleterre T. III, p. 470. The Compleat History of England Vol. II. p. 329. Echard l. c. p. 753
d) P. d'Orleans dans Histoire de Revolution d'Angleterre.
e) Prolixius rationes allatas siffit Larrey l. c. p. 752.
f) Annal L. I. Conf. Forstner ad istum locum.
g) Ubo Emmius Hist. Frif. L. VII.
h) Godwin Annal. L. III, Baker Chronicle of England p. 314
i) Annal. L. III.
k) Hist. d'Angleterre p. 753.
l) Silhon Ministre d'Etat Discours I,

THESIS

❧ ❧ ❧

THESIS VI.

Maria mortuo Fratре Eduardo suppressaque
Jana publice Regina proclamatur atque paulo
post solennem accipit inaugurationem.

Excerpt.

Contradictiones & difficultates in acquirendis rebus magnum sæpe ad fortunam gradum fieri, illustris quædam inter Gallos scemina prudentissime observavit. a) Scilicet animus eo ipso magis attentus redditur, ut omnibus in rebus consilia probe expendat eorumque eventus sollicitè prospiciat, quæ certissima ad solidioris prudentiæ adyta via habetur. Fortuna contra secunda præproperam de rebus concipientes spem plerumq; cæcos parere catulos solent homines, atque in supina ista fiducia sæpiuscule miserrime decipiuntur. Atque illam ipsam fortunæ adversitatem certiore Mariæ ad thronum viam præparasse non alienum existimo statuere, quæ hætenus in occulto veluti ac depressa jacens prudentissima consilia adminiculante imprimis temperamenti sui qualitate, quod prudentiæ merito censetur accommodatissimum, capere potuerat, quorum deinde successum eo majori vi atque constantia urfit. Eam itaque, quam hætenus ut cum Tacito b) loquar in occulto tenuerat fortuna cum splendore quodam emergentem atque caput supra malevolorum machinationes extollentem videmus. Sed ne cæco tantum fato miram hanc rerum Catastrophen adscribamus, non inutile erit in causas paulo accuratius inquirere, ex quo processu demum verus historiarum usus in nos redundare solet. Primo quidem omnium maxime ruinam Grajæ atque exinde propullulantia Mariæ incrementa Northumbriæ Duci asfigno, moribus suis magnum odium ingresso apud proceres, qui præter commune, quæ aulicos intercedere solet, invidiam & æmulationem c) tyrannidem ejus extimescebant. Necessitate interim compulsi amicitiam simulabant d) atque strenuam pro Graja curam, usque dum exoptata elabendi fieret occasio, quam clandestinis consiliis facillime sibi apererunt, testantur. Primum favoris erga Mariam specimen edebat Comes Arundelius e) qui principem hanc certiore de Eduardi morte faciens

❧ ❧ ❧

commodissimum aufugiendi tempus eidem parabat. Successit autem ista in arcem Framlinghamensem f) in Suffolcia sitam ejusque utet Norfolkiae regionis incolas facile in suas partes traxit. Itaque assumpto Regis titulo literas Londinum ad concilium mittit, in quibus a regni senatoribus, ut se Reginam agnoscerent, poscit. Initur consilium de exercitu conscribendo cui praeficiendus erat Dux Suffolciensis. Verum ecce fraudes coeterorum sociorum clanculum in contrarium nitentes. Gravis erat iis Northumbriae Ducis hominis acuti consilii que magni praesentia quam amovere sedulo adnitebantur variasque producebant rationes, quibus in expeditionem detruderent ducem, inter quas praecipua erat; Praesentiam ejus multum ponderis apud exercitum habituram esse: Caeteras exhibet oratio, qua Duci, ut exercitui praesset, suadebant, extat ista apud Larrejum. g) Subornarunt etiam delenificis verbis, quibus a sincero amore fraudulenter praetextum quaesivisse certum est, ipsam Grajam, ne patrem ad exercitum tendere pateretur, magno cum veritatis specie praetendentes: Parentis praesentiam magis proficuum esse ipsi, quam Northumbrii. Credibile mihi videtur nimis periculofam hanc expeditionem ob discrimen vitae, cui se expositurus sit parens, depinxisse fraudum architectos, ut animi mollitie, in quam iste sexus solet esse proclivis, in malae causae subsidium eo melius uti possent. Colligo id ex allocutione qua lacrimas inter & suspiria tenerrimum Parenti testata est affectum. h) *Est ce dono à ce prix qu'on me veut faire accepter la Couronne? Une goutte du sang de mon Pere m'est plus precieuse que tous les royaumes du monde.* Et post modum ad consiliarios conversa, ut decretum mutarent preceata est. Necessitate itaque compulsus expeditionem suscipit Northumbrius, sed non sine gravi animi perturbatione facile prospiciens absentiam suam ingentis mutationis causam fore, accessit silentium populi, i) quod per plateas urbis in castra tendens observavit atque in exigui amoris omen interpretatus est. Nec decepit Ducem praesagium, omni enim felici successu carebant conatus ejus ingruente alio ex alio infortunio, inter quae praecipuum haberi poterat defectio Haslingii Comitis Huntingtonii fratris, qui cum 4000. peditibus Northumbrium deserens ad castra Mariae transibat, ob quod insigne officium Mariae praestitum ab ea postmodum Baro Lowburgenensis creatus est. Ut autem illud consilium iniret credo eum induxisse affectuosam Mariae epistolam, quam e MSS. G. Peryi communicat *doctissimus autor notarum in Goodwyni Annales,* k) Denique ipse



ipse æther, ut cum Poeta loquar, Mariæ militare videbatur, qui vehementi tempestate naves a Northumbrio in detrimentum Mariæ, si forte fugæ se daret, adornatas in portum Yarmuthensem compulit eo tempore, quo in oppido delectus pro Maria fieret. Milites ergo seu vi, seu precario compulsi naves Duci cuidam Mariano Jernegamo tradidere. Hæc tum gerebantur pseudo Consiliarii Graiæ consilia iniqua in effectum deduxere Ducem Suffolciæ astu & simulatione illudentes, a quo nacli veniam e turri discedendi, ut copias, quas Northumbrius desiderarat, cogerent, in urbem evolant ibique sparsis seditionis erga Janam seminibus arctius pactum in Ducis Pembrochii ædibus ineunt, Arundelio Oratoris partes agente, qui antiquo erga Ducem odio incitatus gravissima oratione, cuius contenta exhibet Goodwynus & Larrejus m) animos cæterorum ab eo avertebat. Expertus est in eo Dux Suffolciensis non sine insignis fortunæ detrimento pestilentissimos dissimulationis effectus, quam, cum insignis eius sit usus, Aulici omnium optime suis negotio accommodare callent. Multum itaque interest eius naturam atque characteres ex circumstantiis rerum indagare, ut præcavere fraudes, ipsi autem in rebus licitis mentem nostram ob velare discamus, ne perspicaces adversariorum oculi ad interiores eius recessus penetrare queant. n) De hoc autem facto cum fama percubisset Suffolcius Janæ filia cubiculum ingreditur atque insignia Regia ab ea poscit contrariæ fortunæ inimicitiam ipsi denuncians, quæ læto atque tranquillo animo Janam parenti tradidisse omnes consentiunt Historici simulque verba enarrant, quibus Patrem allocuta est, videatur imprimis Larreius. o) His gestis consiliarii literas ad Northumbrium mittunt, atque ut decreto agnitionem regis Mariæ concernenti subscribat, postulant. Interim accersunt Prætorem Londinensem aliosque senatores secedunt in celeberrimum urbis vicum, quem dicunt Chepside, ibi tubæ sonitu populum convocant, & mox in æde Paulina Mariam Reginam proclamant. Suppressa est hac ratione Graia, nec eam religio, ob quam a populo amari debebat servare potuit. Apparuit in eo gentis Anglicanæ indoles, quæ legitimis dominis magnam habet venerationem, adeo, ut nec ulla prætenso, nec religio delere eam valeat. Northumbrius autem quid agit? Indulgendum erat fortunæ ad versæ; fata itaque sua prospiciens antequam adhuc literas acciperet ejecto in altum pileo lætitiæ signum dedit Mariamque Reginam, contra quam paulo ante publicas ordinarat preces, Cantabrigiæ proclamat. Coronatio Mariæ



riæ atque solennis inauguratio Iphis Octobris Kalendis 1555. celebratur. Die præcedente magna cum pompa per plateas ducebatur Regina Westmonasterium petens, ubi postero die coronam ei imponebat Gardinerus sermonem habente Dajo, celeberrimo istius ævi oratore. Gardinerus etiam suavor erat reginæ ut extraordinaria quadam munificentia popularem auram captaret. Proinde publica proclamatione significare jussit: se non solum pecunias ad mandatum superioris Parlamenti exactas remittere velle, verum etiam constituisse ex suo ærario æs alienum ab Henrico Patre & Eduardo fratre conflatum solvere; adjeicit quod neglecta suorum commodorum ea in re cura, licet opibus maxime denudata ad regnum accesserit, præstantissimum thesaurum subditorum favorem reputet. q) Quantum ista munificentia populi animos occupaverit facile judicatu est. Scilicet non firmiter throni fulcrum ad regnum accedentibus inveniri potest, quam favor subditorum, qui plerumque boni regiminis omnia ex remissione quorundam onerum capere solent. Eo subsidio plerumque Principes uti videmus, qui ad regnum accedentes de suorum subditorum affectu non satis certi sunt. Observare illud ipsum licuit in Guilielmo Mantuæ Duce, qui Monferatensibus parum fidens non alio certiori vinculo contineri in officio credit, quam si nobilitate et autoritate apud Populares validos donis ac liberalitate illigasset. r) Uno adeo impetu, quod fortuna antea pertinacissime negabat, ad Mariam deferri videmus: Regnum sibi liberum, Amicos futuræ felicitatis fulera, hostes serix vindictæ destinatos, ut exinde intelligat paucorum dierum felicitatem longorum annorum adversitates delere atque animo sublimiorem lætitiâ infundere posse.

THE-

-
- a) Madame Marquise de la Sable Maxime LIX. conf. & le Noble l'École du Monde T III. Entretien XII.
b) Tacit. Annal. Lib. I.
c) v. Rochefaucault Reflexion 31. it. Verulam, Serm. Fidel. IX.
d) Fr. Baco de Verul. Opp. p. 1146. Forstner, ad Tacit. Annal. XII. Cap. III.
e) vid. Echard. History of England p. 752.
f) Compleat History of England Vol. II. p. 329.
g) Latrey Hist. d'Angleterre T. III. p. 756.
h) Latrey l. c.
i) Secret History of England p. 238.

k) Jn

❁ ❁ ❁

THE SIS. VII.

In folium regale evecta ingentes suscipit mutationes, atque in plures, quos sibi contrarios deprehendit, gravissime animadvertit. Inter præcipuos Jana Graja & Dux Northumbrius cadunt.

Ex 95015.

Sic exantlatis plurimis discriminibus Mariam solium regale ascendere, atque mutata ejus fortuna multas in regno mutationes videmus. Mira Catastrophe accidit. Illi, quorum autoritas sub regimine Eduardi plurimum valuerat aut carceri includuntur aut suis privantur officiis. Marianarum vero partium fautores liberati summos impetrant honores. Hac ratione fortuna continuo in aulis ludere solet, a) maxime tamen istis temporibus, ubi novus Imperans fasces Imperii capit. Sentiebat imprimis iram Reginae Northumbriae Dux, quem Arondelius ad Mandatum Mariae Cantabrigiae comprehendens in Turrim Londinensem deduxit. Hac occasione mentis dejectæ, in quam præpostera ambitio degenerare solet, b) non unum edidit specimen Dux iste; præcipuum autem fuisse existimo, quod flexis genibus apud Arondelium libertatem impetrare conatus est c) Ex sociis suis præter alios, quos heic recensere nolo, Guilfordum Janæ Conjugem & duos filios in captivitate Collegas habuit. Ab his omnibus meditatione nostra parumper discedentes, quæ interim gesta fuerint examina-

D

k) In the Compleat History Vol. II, p. 331.

l) Annal. L. III, p. 108.

m) Hist. d'Angleterre T. 3, p. 761.

n) v. l. c. Noble l'Ecole du Monde Entretien IV, T. I. s. Rochefaucault Maxime XLVIII. Fr. Bac. de Verulam, Serm. Fidel. VI. Silhon Ministre d'Etat Lib. II. Discours XIV. p. 264.

o) Hist. d'Angleterre p. 762.

p) Godwyn Annal. L. III, p. 108.

q) Echard History p. 761. Burnet. Hist. Ref. P. III p. p. m. 164.

r) Anton: Possevin Hist. Monferri. p. 36. conf. & Tacitum Annal. Lib. XIII, Cap. XVIII.



minabimus. Lætabantur de exoptato calamitatum suarum exitu ii, qui clandestini Mariæ fuerant fautores atque amplissimam de incrementis fortunæ suæ spem capiebant: Nec eos fefellit fiducia, nam regina pristinorum memor beneficiorum, splendidissimis eos exornavit honoribus. Noverat enim cæteros proceres non melius ad fidelitatem obstringi posse, quam sub spe honorum impetrandorum, quos idolum plerorumque aulicorum dixeris, cuius causa omnia subeunt. Gardinerio in Episcopatum suum restituito supremi in Anglia Cancellarii officium deferebat. Ducem Norfolciæ, Eduardum item Cortinæum singularibus etiã afficiebat beneficiis. Plures Episcopi inter quos præcipui erant Bonnerus Episcopus quondam Londinensis, Tonstallus Dunelmensis & Heathus Wigorniensis pristinam cum libertate impetrant dignitatem. Deerant autem his Mariæ amicis dignæ regio favore sedes, quas sub Antecessorum imperio alii occupaverant, ut ergo nihil omitteretur, quod ad plenam eorum fortunam pertineret facile simulatus religionis amor media suppeditabat. Veram religionem magno in periculo atque eo ipso regiam maiestatem non satis tutam esse Mariani clamitabant. Inquirendum ergo erat in perniciosos errorum Patronos, denominantur Episcopi illi, quos paulo ante restitutos diximus commissarii atque iudices contra Taylorum, Hooperum & Harlejum maximæ famæ viros, quos favor Eduardi istis honoribus exornaverat. d) Deficientibus firmis accusationum argumentis varii tamen non deficiebant prætextus, quos urgere atque sub iis ex officiis exturbare possent adversarios. Ingrati animi notam præterea in se suscipiebat Maria persecutione Cranmeri Episcopi Cantuariensis, quem ab adversariis gravissime accusatum in carcerem detruxit non obstantibus præclaris meritis, quibus reginam maxime obstrictam sibi reddiderat. Scilicet prohibitum fuisse legimus a Cranmero, ne ab Henrico Patre carceri includeretur Maria, atq; eundem etiã Testamenti subscriptionem tempore Eduardi negasse, uti supra monitum fuit. e) Quod si ingrata mente nihil solet esse pestilentius, in Principibus eam conspiceretur turpissimum erit, adeo ut nulla ejus inveniri possit excusatio nisi subsequencia vitia priorum beneficiorum pretio sponte detraxerint. f) Verum indulgit in eo aliquid genio suo, quem ad vindictam maxime proclivem fuisse plurima ejus facta indignum regia potestate affectum g) proventia arguunt. Ad Parlamentum a Regina convocatum nunc paucis est divertendum in quo plurima peracta fuerunt, quæ sequenti tractationi lucem affundere queunt.

Jai

❧ ❧ ❧

Initia capiebat congressus iste brevi tempore post solennem Mariæ inaugurationem. In diplomate quo Regina Proceres invitabat apparuit juxta nomen ejus titulus capitis ecclesiæ signatus, ex quo plures fiducia, alii timoris argumentum ceperunt. Dulce cecinisse Mariam hoc ipso titulo ad decipiendos subditors animos ex plurimis circumstantiis licet conjicere. Nam quod auctoritati Papæ aliquid derogare voverit, credibile non est, eo quod ad Parlamentum ea requirebat membra, quæ Pontificiæ doctrinæ maxime addicta noverat. Sunt qui asserunt substitutos fuisse delegatos, qui verè delegati non fuerint. Eos autem, qui legitime vocati accesserint e Camera communium exturbatos fuisse. h) Ex his atque aliis factis violentis possis asserere: hoc Parlamentum pro vero non esse habendum adeoque placita ab isto promulgata nullam habere auctoritatem atque valorem. Accedit & hoc, ex quo Consilia Reginæ non leviter apparent, quod ex Reformatis nemo admissus est præter duos Episcopos Lincolnensem & Horefordiensem. Duos enim Archiepiscopos Eboracensem & Cantuariensem Turri Londinensî incluserant ne auctoritate sua contrariarum partium consiliis obstarent. Illi igitur Episcopi Cameram supremam cum ingressi essent in animo deliberatum habentes doctrinam suam defendere, genus flexionem autem in celebratione Missæ, quæ initiis congressus præmittebatur, detrectarent, vi ex cœtu exturbati fuere nec locum rursus impetrare poterunt. Alii sponte egressos esse asserunt; sed innitor potissimum cum hac mea assertionem Bealli testimonio ad quod etiam provocat Burnettus. i) Eo furoris progreditur superstitio, quæ sub specioso religionis titulo in eos ruit, quos tenebricosis consiliis contrarios deprehendit, adeo ut plerumque eam in maximam crudelitatem degenerare videas, cui cum vera religione nihil esse commercii sana suadet ratio. Accedunt & privatorum affectuum importuna consilia, quæ sæpissime sub pallio religionis funestos producunt effectus. k) Decretis hujus Parlamenti, quæ non adeo ad institutum nostrum faciunt, missis, ea tantum insero, quæ ad nexum reliquæ narrationis pertinent. Inter primaria erat id, quod communi utriusque Cameræ consensu divortium Henrici VIII. a Catharina irritum declarabat. Ita in eo negotio gentis Anglicanæ inconstantia apparuit, quæ isto tempore tanto favore rejiciebat divortium, quanto antea illud approbaverat: Quemadmodum autem cum vitis plerumque aliquis pudoris sensus est conjunctus, præcipue apud

D 2

eos,



eos, qui frontem nondum plane deposuerant, ita tam turpis inconstantiæ proceres aliquos quærebant colores, quos odium erga adversarios facile suggerere poterat. Ita enim divortii causa peruersitati Academicarum & malitiæ Cranmeri adsignabant, cum tamen Gardinerius plus quam Cranmerus ad id contulisset. Pridie Kal. Non. Proceres cum inferiori Camera decreti formulam communicarunt, qua placita Eduardi VI. in causa religionis condita rescinderentur, post sex dierum examen communium corpus illam approbavit. D. III. Non. Novembr. Cranmerus, Jana Graja, Guilfordus maritus ejus & duo Northumbriæ ducis filii coram iudicio apparuerunt & condemnati sunt. Innocentes plerosque fuisse constat, nihilominus tamen poscente ratione status, quæ sæpissime abominandæ crudelitatis fundamenta ponit, l) Sententiam mortis Regina mutare noluit. Gardinerius multum diuque ut sententia Cranmeri differretur allaboravit, adeo, ut mirum fuerit plerisque cur hostis Cranmeri infensissimus tantam ostenderet clementiam. Solent autem turpissima vitia sæpissime præstantissimam virtutum speciem sumere, m) ut in proclivi sit nubem pro Junone osculari; Ejusmodi hypocriteose exemplum exhibuisse videtur Gardinerius homo vaferrimus, qui timebat, ne remoto Cranmero Episcopatum Cantuariensem Cardinalis Polus impetraret, quem tacita spe suæ ambitioni destinarat. Vidimus huc usque Mariam nullo contaminatam sanguine, atque prudentius tranquillitati suæ prospexisset, si potentia regalis exercitium, quod quantum fieri potest a sanguine liberum esse debet n) magis in bonitate, quam rigore ostendisset. Verum aliqua injuriarum memoria & timore futurorum, qui plerumque crudelitatis solet esse fomes urgente vindictam sitiebat

Junonis gravis ira & inexsaturabile pectus. o)

Aperiuntur itaq; cataractæ severitatis atque ingentes sanguinis imbres fundunt. Cadebat Jana Graja, item Northumbrius cum duobus Filiis Guilfortus etiam & Cranmerus pluresque alii, quos Historicorum volumina prolixius recensent. p) Memorabile autem præ reliquis est supplicium Northumbrii, qui tantam in mortis articulo prodidit pusillanimitatem, quantam vix ante superbiam atque insolentiam in vita ostenderat. q) Scilicet, quod commune autorum suffragium asserit spe vitæ motus religionem suam abnegare voluit, seu ut Thuanus vult, re vera abnegavit. Nemo tamen istam animi inconstantiam mirabitur aut ipsi religioni, quam in vita professus erat attribuet, qui pensitaverit, facillimum fuisse religionem



gionem abjurare ei, qui præter perverſam philavtiam nullum agnovit Deum, ſed iſti unice opimas de die in diem vicſimas obtulit, quod Larrei de eo eſt iudicium. r) qui rationes iſtius timiditatis egregie expeditas ſiſtit atque totam de eo tractationem his verbis concludit : s) *Au reſte comme ſes plus belles qualitez n'étoient que de faux brillans de l'orgueil, & des enſures de l'amour propre ; qu'elles n'étoient ni avimées, ni ſoutenuës par la vertu, il ne faut pas s'étonner ſ'il fut auſſi lâche dans ſes diſgraces, qu'is avoit été insolent dans ſa proſperité.* Iſta autem ſpes lubrico ſubnixæ fundamento Northumbrium ſefellit, nam poſt aliquos diſcurſus in funeſto mortis theatro factos inter multas querelas per eadem instrumenta exſpiravit, quibus Sommerſettium Ducis ſuſtulerat. Sepultus etiam fuit juxta ſepulcrum ejuſdem ; conjunxit itaque mors, quos vita perpetuo contrarios viderat. Adeo inſtabiles ſunt rerum vices atque mutabilis hominum fortuna, ut mox in inſimum detrudatur, cujus majeſtatem paulo ante omnes cum tremore veriti erant. Sed plerumque hominum vitia in cauſa ſunt, quæ, cum aut perverſum præfixum habeant ſcopum, aut iniqua ad bonum finem adplicent media, non poſſunt non contrarios ſupinæ ſpei fortiri effectus : Docuit id fatalis Northumbrii Cataſtrophe, qui regioſ familiæ ſuæ honores affectans eidem triſtiſſimam acceleravit deſtructionem. t) Num vero juſtas habuerit cauſas iſtud ſupplicium hujus loci non eſt prolixius dicere, inquiri in eam controverſiam Doctiſſimus Echardus, u) ad quem B. L. ablego.

- a) vid. Forſner, Not. ad Tacit. p. 109.
b) Larrey Hiſt. d'Angleterre p. 763.
c) Baker Chronicle of Engelland p. 315. Echard Hiſtory p. 756.
d) vid. Mandat. ad iſtam commiſſionem in Collect. Burrnet, H. R. P. II.
e) Larrey I. c. p. 771.
f) M. L. D. Penſées Diverſes, Penſée XLIII. it. Mad. de la Sable Maxim. XII.
g) Boſſuet Politique Livre III, Artic. III, §. 8.
h) Echard Hiſtory of the Kings and Queens p. 761.
i) Hiſt. Ref. Angl. P. II p. 64.
k) Conf. de rebus quæ ſub prætextu Religionis ſunt Oeuvres mêlées de Mr. l'Abbé de S. Real. Traſtat. I. Diſſert. VII, integr.
l) Conf. Forſner ad Tacit. Annal. Lib. XIII.
m) Conf. l'Efprit Fauſſeté des Vertus Humaines.



THESIS VIII.

Religionem Pontificiam rursus introducere magno conatu laborans non leues crudelitatis notas prodidit.

Excerpt.

Non leuia Hypocriteos in Religione argumenta sub Regimine Henrici Patris & Eduardi fratris ediderat, atque etiam sub ingressum regni pifcos fervare videbatur mores commodam opperens occasione, qua consilia sua in effectum deducere valeret. Noxium hoc atque pestilens est vitium, fenestram licentiæ perversæ aperiens, præcipue si apud eos inveniatur, qui conjunctam cum depravata voluntate habent potentiam, cum nihil sit quod non sub religionis prætextu tentare audeant. a) Promiserat Maria proceribus provinciarum Suffolciæ & Norfolciæ se nihil in Religione immutare velle b) atque hac pollicitatione auxilia incolarum contra Northumbrium impetraverat. Verum in regno confirmata parum promissorum, quæ Principi omnium maxime sancte sunt servanda, memor c) ingentes suscipiebat mutationes atque mutata fortuna se etiam in sermonibus mutatam exhibebat. Cum enim antea dixisset, se Imperium in conscientias Spiritui S. relinquere velle, d) paulo post stylum mutare coepit, levemque arripiens occasionem e) publico Edicto f) constituit: Neminem in Cathedram admittendum esse, nisi qui specialem a Regina impetraverit licentiam. Norfolciensibus autem & Suffolciensibus promissa Mariæ in memoriam revocantibus respondisse fertur: g) Sibi bene consulturos esse si addiscerent membrorum esse capitis mandatis parere

n) v. Jaques Beaign; Bossuet Politique tirée de Paroles de l'Escriture Livr. 3 Art. 1.
Thes. 10.

o) Virgil. Æneid. L. I-

p) vid. Varill. Histoire des Revolutions dans l'Europe en Matière de Religion
T. V. L. XXI.

q) vid. prolizius descriptam apud Larrey Hist. d'Angleterre p. 774.

r) l. c. p. 774.

s) l. c. p. 775.

t) vid. Secret History of England p. 241. u) l. c. p. 778.



tere nec capitis auctoritatem usurpare; nec acquievit in eo Regina ingratus animus sed & Dobbeum, unum e delegatis promissa vehementer urgentem numellis insertum punivit. Hac ratione firmis religionis Romano Papæ fundamentis positis Maria multa alia superstruit molimina, quæ sibi exitiosa Reformati augurari poterant. Instituta fuit congregatio Cleri, ut publica partium pugnantium disputatione amabili compositioni via aperiretur, qui autem verus fuerit scopus ex impari pugnantium numero licet colligere, scilicet sex Protestantibus Theologis cum tota Pontificiorum colluvie erat concertandum. Ex quo prudentes facile intellexerunt destructionem plenariam Protestantium intendi, quos contra tot infrunitorum hominum clamores stare non posse certum erat. Quæ propter etiam Huddonius & Ailmerus alter Decanus Exoniensis, aiter Diaconus Siowyiensis in certamen descendere nolebant. Plures circumstantias Burnettus habet h) quas heic asserere non licet. Quinam autem ex his atque aliis processibus resultaverint eventus, aut quænam crudelitatis specimina regina ediderit longum foret enarrare, Lubentissime itaque istam recensionem sepono præcipue cum otia mihi ea in re fecerint doctissimorum Virorum labores. Plurima culpandæ erga Reformatos severitatis exempla habet doctissimus Historiæ Calvinismi & Papismi Parallelæ autor, quem Jurium esse nullum est dubium. i) Sufficit vel paucis asserere vehementissimas inde persecutiones ortas fuisse, quas perverfus Religionis Zelus aut si malis, pravi affectus, qui religionis habitu splendebant in tot innocentium hominum miserima fata mirifice alebat. Refinitam omnimodo cupiebat auctoritatem sedis Romanæ atque exinde etiam pristina superstitutionis patrocinium Maria, cui si quis contradicere, aut imperio in conscientias refragari audereret illico gravissimis afficiebatur poenis. Nimis in isto Zelo sibi indulgens Regina solidioris prudentiæ præcepta neglexisse videtur, quæ omni ratione suadere poterant, ne vehementi persecutione crudelitatis maculas sibi contraheret. Occasionem heic mihi datam video paulo accuratius inquirendi, quid de diversarum religionum tolerantia, quam in Maria requiro, sit censendum, aut quid prudentiæ civilis placita hac in parte suadeant. Vendum nolo me vasto huic pelago committere, verendum enim ne in eam delatus tractationem sequentibus historiæ nostræ momentis locum præripiam. Interim vel tribus saltem verbis ad istam controversiam monere licebit. Non una ratione aliquid de ea asseri posse, cum circumstan-

tiarum

§ § §

tiarum varietas ex statu Reipublicæ resultans totum controversiæ statum mutare possit. Scilicet alia ratione asserendum erit, si religiones diversas ab antecessoribus suis toleratas sub ingressum regiminis inveniat imperans; alia etiam si durante ejus imperio varietas religionum extoriat. Posterius si respicias licebit Principi publicis edictis admissionem secus sentientibus negare. Quod si autem prius attendas tolerantia præ violenta ejectione suadenda erit. Cum autem & tolerantia & expulsionis pro diversitate commodorum, quæ republicæ sibi fingunt, argumenta *extractione status*, quam omnes crepant Politici profluere videantur, eorum ex utraque parte firmitas in quantum cum vero & genuino *Interesse status* conveniat, iis qui prolixius in eam rem inquirunt, examinanda est. *Qui* elandestinis subditorum dissidiis & similitudinibus potestatem imperantis omnium optime sustentari posse *k)* arbitrantur, ex isto scopo religiones tolerare jubent; Contrarium tuentes ipsam religionum discordiam regno suo exitiosam existimant atque diversitatem exinde potissimam eliminatam cupiunt, ut unitatis vinculo subditos eo melius constringant. Sedulo autem his cavendum, qui religionis unitatem procurare volunt, ne charitatis atque socialitatis leges lædant, *l)* quod in violenta plerumque accidere solet exturbatione, uti in ipso Mariæ nostræ exemplo observare licet, cujus inconsultus feror crudentia regimini & conscientia maculas contraxit. Interim non neganda est Principi potestas, quandoque si circumstantiæ exigant vi utendi, eosque, qui intempestive innovandi pruritui indulgentes turbas in republica excitant, coercendi ita tamen, ut omnis absit crudelitas (qua parum conscientis ægrotis consultur *m)*) Determinandum itaque firmis rationibus quousque magistratui vis adscribenda sit; quæ nobilis controversia *n)* magna animorum contentione sub finem superioris sæculi passim agitata fuit; strictim eam profertur scriptum, quod sub titulo Compendii doctrinæ de Tolerantia civili eo tempore lucem adspexit, *o)*

THE-

-
- a) v. l'Abbé de S. Real Oeuvres mêlées Tr. I, Discert. IV.
 b) Echard History of England p. 757.
 c) Secret History of England p. 238.
 d) Larrey Histoire d'Angleterre T. III, p. 777. Echard l. c. p. 758.
 e) Pluribus eam enarrat Godwin, Annal Lib. III, p. no. & Burnet Hist. Ref. R. II, p. 159.]

(f) Con-


 T H E S I S. IX.

Anno seculi post Christum natum XVI, quin-
 quagesimo quarto matrimonium cum Philippo
 II. Hispaniarum Rege contrahit, quod conjugium
 tamen optatos ab utraque parte eventus non im-
 petrauit.

*Eusebii.

Inter præcipua subsidia, quibus incrementa Reipublicæ mirifice pro-
 moveri possunt, procul dubio matrimonia imperantium sunt referen-
 da, quæ si recte instituta fuerint longe majorem præ cæteris mediis ple-
 rumque cum aliqua vi aut fraude conjunctis merentur existimationem.
 Egrejæ hac in re consentientem habeo doctissimum Autorem de l'Art
 de réussir à la Cour, ita enim de nuptiis principum: a) *La premiere*
moyen le plus naturel & le plus legitime que les Princes puissent avoir
pour s'accroire; c'est de contracter leurs Mariages avec des Princesses he-
retiques de quelque souveraineté qui soit dans leur bien seance, & à leur
avantage. Eximium asserti nostri exemplum præbet Illustrissima Do-
 mus Austriaca, quæ quod commune Politicorum assimat suffragium
 per matrimonia feliciter contracta, tantum potentæ culmen attingit. b)
 Placet in hujus sententiæ confirmationem unicum proferre locum, Sil-
 honii de domû Austriaca ita pronunciantis: c) *C'est une chose assez con-*
nuë dans le monde ce que doit la Maison d'Autriche aux alliances du
sang &c. & paulo post: On sçait assez que ce sont les alliances qui

E

Fons

-
- f) Contenta ejus exhibet Larrey Hist. d' Angleterre T. III. p. 778.
 - g) Burnet l. c. p.
 - h) vid. c. 170 conferri etiam meretur Sanderus de Schism. Angl.
 - i) Histoire du Calvinisme & celle du Papisme mises en paralleles &c. contre
 l'Histoire du Calvinisme par Mr. Maimbourgh P. I. L. II. VII.
 - k) vid Forstner ad Tacit. Annal. L. II. p. 140.
 - l) vid. Verulam. Serm. Fidel. III. opp. p. 1142. it. Reinking L. II. Axiom. CXXXVI.
 & Hug. Grot. de Jur. Bell. & Pac. L. II. C. XX. N. 28.
 - m) Bossuet Politique Livr. VII. Art. IV. §. 6.
 - n) Conf. Jurieu Tableau du Socianisme P. I. Epist. 8. P. 491. & p. 507. it. p. 509.
 seqq. ubi prolixius de ista materia disputatur.
 - o) Abregé de la Doctrine de la Tolerance Civile Roterod. 1691.



Pont edificæ, & portæ d'une origine mediocre à cette haute Puissance où l'on l'a voit &c. &c. Ejusmodi axiomatis tam præclari effectus sperabat etiam Philippus II. Rex Hispaniæ, de quo paulo post brevibus erit agendum, qui instigante atque urgente imprimis Carolo V. parente pactum matrimoniale cum Maria nostra quærebat. Ab utraque parte amplificatio potentiæ intendebatur, num autem votis felicitate factum fuerit infra patebit. Videamus ergo, quæ matrimonii illius inter Mariam atque Philippum fuerint causæ. Non opus existimo pluribus repetere, quæ supra de Matrimonio Mariæ, quibus in tenera adhuc ætate per curam Parentis destinata erat, enarravimus; ea potius expedienda veniunt, quæ nostri instituti ratio regimen Mariæ potissimum respiciens exigit. Consilia ineundi matrimonii sponte cepisse Mariam plures asserunt autores, d) eaque potissimum ratione motam fuisse, ne ob sexus imbecillitatem in contemptum suorum deveniret nondum stabilito solio & regno a recenti factionum memoria fluctuante, quæ verba sunt Goodwyni. Nec intempestive timuit Maria. Scilicet verum esse novimus: foeminarum imperia non adeo firma esse, nisi consiliis & autoritate virorum suffulciantur. Qua de causa & plures eam ingressos viam videmus, ut foeminis regnandi potestatem plane denegent causam ab infirmitatibus earum petentes atque exempla infelicium sub imperio muliebri rerum publicarum producentes, quorum longa series extat apud Bodinum: ille autem inter alia ita de foeminino imperio: Quemadmodum familiæ perturbantur in quibus foeminæ maritis imperant, sic & respubiicæ disturbantur, quæ foeminæ dominatu tenentur, etiam si prudentiæ famam assecuta fuerit. Verum ut dicamus quod res est, nimis iniqui in foemininum sexum isti censores videntur, huic enim eandem sapientiæ & virtutis laudem obtingere posse, ad quam virorum negotia tendunt, recentiora pariter atque antiqua tempora plurimis jam comprobarunt exemplis. Hæc de spontanea Mariæ ad matrimonium inclinatione. Alii Parlamenti petitiu[m] prima consilia de contrahendo matrimonio suppeditasse perhibent, procerum autem intentionem potissimum ad indigenam respexisse credibile est quorum duo imprimis aderant, qui regio thalamo digni habebantur, quosque popularis fama tunc temporis nuptiis Regiæ destinabat, Polum nimirum Cardinalem & Cortenæum Marchionem Exoniensem, utrumque singularibus illustrem donis. Alterum enim prudentia summa, insignis comitas



mitas simultanea etiam cum Maria educatio ac perurbana consuetudo; alterum flos atatis, forma elegans, morum etiam suavitas commendare poterat. Nuptias cum priori Papa prae omnibus urgebat, atque ut propius aliquando lateri Mariae si fieri posset jungatur, legatum a latere eundem nominat, verum ad insinatum Gardineri detentus fuit a Caesare in Flandria donec pacta matrimonialia Philippum inter & Mariam consummata essent. Erat praeterea etiam aetate provectior, quam ut firmam liberorum concipiendorum spem dare posset, qui tamen praecipuus matrimonii illius scopus esse debebat. Comitem Cortinaem Regina amabat sed plures erant, qui cum eidem praecipue ob religionem suspectum redderent. Tertius itaque producendus erat, quem praeter potentiam, etiam insignis erga Romanam Ecclesiam amor Mariae acceptum efficiebat. Philippus nimirum II. Hispaniae Rex, cujus ad regnum accessum Pontificii maxime exoptabant, Carolo V. autem ista confederatione nihil optabilius accidere poterat. Scilicet apparebat in eo amplissima stabilenda Monarchiae Universalis spes, quam magno etiam pretio emerat Imperator. Prudentiores inter Anglos hoc foedus cum suae libertatis iactura conjunctum esse facile intelligebant adventu Comitis Egmondæi Caroli V. Legati maxime perturbati; omni igitur ratione illud dissolvere atque per publicos Parlamenti delegatos Mariam ab istis nuptiis abstrahere conabantur. Prae omnibus autem timebant ii, qui Religioni Reformatae addicti erant, sanctos suae religionis exitus. Oculas itaque suae spei fores Caesar ad monitum Gardineri, quæ Episcopatum Cantuariensem cum purpureo galero suae curæ mercedem sibi pollicebatur, auri vi aperiendas constituit misitque duodecies centena millia coronatorum in Angliam, ut ista largitione profus regis animos difficiles lucretur. Nec incongruum suae fiducia effectum imperavit. Vidimus in compendio quæ rationes contrahendi matrimonii utrique parti adfuerint; Nunc vel tribus, quænam populi Anglicani de ista fuerit opinio, displicendum. Perspicaces atque lyncei sunt subditorum oculi in examinandis imperantium consiliis, adeo ut penitatis in utramque partem rationibus, quas plerumque a suis commodis petunt de eventibus pessimum sæpius timeant. Comprobatum hoc fuit in negotio praesenti; Posteaquam enim fama de matrimonio Philippi II. & Mariae percubuerat gravissima timoris ceperunt argumenta, verentes ne conjunctis regnis tam potentibus Anglicana libertas



corruat. Stat interim pro ratione voluntas Reginae cujus ambitioni hæ nuptiæ imprimis conveniebant, atque neglectis subditorum petitis pacta matrimonialia cum Philippo confirmat. Noverat hunc strenuum Catholicæ Religionis defensorem atque insensissimum eorum hostem, quos sub nomine hæreticorum notare solent superstitiosi veræ religionis corruptores. Nihil ergo accommodatius ad destruendam in Anglia Religionem istis nuptiis excogitari poterat, quas eo magis exinde urgebat Regina. Tractatur itaque serio res inter Reginam & Philippi Legatos, qui eam ob causam Londinum ineunte Januario venerant, atque eam post aliquot dies confirmatur. Pactis dotalibus aliæ conditiones additæ fuerunt, quas huic opusculo inserere volebam, spatio autem exclusus ablegare cogor Benevolam Lectorem ad Godwyni Annales, qui in compendio conceptas eas exhibet. Cum ista autem pacta Autoritate Parlamenti confirmata essent, Philippus itaque nihil sibi amplius ob stare deprehenderet, idoneam tempestatem nactus triduo Suthantonam cum Hispanica classis appulit. Cum ibi tridui spatio quoque quiescisset, ingenti nobilium tam Hispanorum, quam Anglorum caterva comitatus Wintoniam venit ad Reginam. Dies D. Jacobi, quem Hispaniæ Patronum credunt sacer, nuptiis destinatus fuit, quæ etiam eodem celebratæ sunt. Omni autem felici successu hoc caruit matrimonium, quod tyrannidem & persecutionem ab utraque parte intendebat, adeo, ut exoptatum Regni hæredem Regina non impetraverit. Affulgere quidem aliquando videbatur spes aliqua, quæ absurda & ridicula paulo post non sine insigni Protestantium lætitia evanuit. Scilicet ex morbo quem Medici molam nominant aut alio consimili uteris Reginae intumuerat & cum alia nonnulla signa indicare viderentur e rege concepissem Mariam, muliercularum consiliis usâ revera se gravidam professa est. Difficile est verbis exprimere, quantum Romanenses ob istam spem lætati intumuerint, omnes anguli fere jubilis personabant precesque ex cœca superstitione ad Deum fusæ Principem hæreditarium expetebant. Nec intra privatorum tantum votorum limites constitit ista lætitia, sed publicas etiam preces e) Regina imperabat, uti plurima testantur monumenta, quæ ex Hollingshedii Chronico allegat doctissimus Autor Annotationum ad Godwyni Annales. f) Contra in luctu & squalore sedebant ii, qui Romanæ Thaidis amores perturbati Hælyonia conscientis afflictis sub regimine Elizabethæ optabant. Feliciorem etiam eorum vota effectum imp-

❧ ❧ ❧

erant. Appropinquabat tempus partus ad quem magno & insigni apparatu preparatio facta fuit. g) Verum spes fesellit. Nam ex montibus parturientibus murem ridiculum prognatum viderunt subditi. Scilicet eo demum tempore prudentibus Medicis patuit ventris tumorem alicui morbo adscribendum esse quo effato uno momento de magna spe se dejectos sentiebant, quorum commoda felici Reginae partu unice innitebantur. Perculit etiam hoc fatum imprimis Philippum II. qui curam suam insuscipienda futuri hæredis tutela, si Maria matura fortassis morte decederet, Anglis obtulerat eam concipiens fiduciam, fore, ut tunc demum Angliam eo citius suæ potentia subijcere possit. h) Assatum itaque in hoc matrimonio cognitum fuit, Deo in contrarium nitente hominum prudentiam nihil efficere posse. Præstantissimum adeo est atque regia potentia vere dignum axioma, eam in consiliis suis adhibere prudentiam quæ ex inexhausto æternæ sapientiæ fonte profuat, atque neglectis tumidis vanæ ambitionis insultibus, qui iniustitiam comitem habent, exoptatos semper ostendat eventus.

- a) Vid. p. 149. b) Conf. l'Art de réussir à la Cour p. 149. c) Ministre d'Etat p. m. 138. d) Vide imprimis Godwinum in Annal. L. III. p. 113. De utriusque partis intentione vid. Franc. Hastings Watchword p. 90. it. the Additional Notes at Godwins Annal. in the Compleat History p. 336. e) Bodinus de Republ. L. VI. C. V. §) Formulas earum precationum vide in the Secret History of England p. 229 g) Compleat History of England p. 3434. h) Vid. the Secret History of England p. 230. i) Bossuet. Polit. L. VII. Art. V. §. 7.

T H E S I S. X.

Oritur gravis contra Reginam conspiratio ab eis, qui foedus matrimoniale & libertati Angliæ & Religioni reformatae exitiosum judicabant, sed feliciter ex iis turbis eluctatur.

Ensis.

Nihil profecto majorem vim habet ad gignendum in animis subditorum erga imperantes odium, quam incommoda, quibus ob religionem affliguntur. Quæmadmodum enim omnia consilia quibus bonum præfixum habemus scopum, semper magno fervore urgere solemus, ita opinio de religione eo majori odio eos averfatur, qui vim conscientia afferre videntur, quo certiore de fidei sui præstantia persuasionem fovent. Ex eodem potissimum fonte promanasse existimem seditionem, cujus in thesi mentionem feci. Constare nimirum, ex superiori tractatione confido, quid Maria in causa religionis molita fuerit, quantumque conscientiam vim attulerit; qualem ergo noxia ejusmodi semina dederint messem paucis est explicandum. Vix innotuerat decretum de Mariæ & Philippi nuptiis cum multi, qui pessima quæque ex isto pacta timebant, calumniandi causam apprehenderent, quasi rerum



summa præficiendus esset Hispanus, ut pro lubitu cum suis omnia administraret & evertis majorum institutis Jugum intolerabile genti Anglicanæ imponeret. Hæc apud omnes & palam iactata; clanculum autem quisque pro ingenio & commodorum suorum cura actiones Reginæ vellicabat. Mox enim memoria promissorum, quæ Suffolciensibus data Regina non servaverat, recurrebat; Mox tristissima innocentis Janæ Grajæ fata commiserationem excitabant. Alios externi jugi metus, plurimos tamen Religio stimular certissimam ejus prævidentes extirpationem. Cum itaque Dux tantum insurrecturis deesse videretur, rem primus suscepit Thomas Wiathus Eques & Nobilis e Cantia oriendus qui re cum Suffolcio Duce Janæ Patre. Caroo etiam & cum aliis nonnullis communicata nihil tentandum stætebat, donec advenisset Philippus, ut quicquid demum haberent in animo contra causam Principis dominatum pro libertate patriæ pugnaturi neque aliam ullam ob causam arma sumpsisse viderentur. Secedit interim in Cantiam Wiathus Suffolcius ad prædia sua in agro Warwicensi Angliæ mediterraneum obtinente, Alii in alia loca ubique arma, comætantum, pecuniam, atque omne generis bellici apparatus corrogant & quotquot possunt in partes suas trahere conantur, Mature detegunt Carovi Consilia qui in Cornubia militem conscribebat, vim igitur Regina fraudibus opponit, Wiathus consilia sua evulgata videns nullum nisi in virtute præfidium querendum duxit omnesque nervos intendi ut vim vi repellere possit. Nec levis ipsi spes affulgebat cum Brettum a Norfolkio contra Wiathanos missum una cum militibus suis ad se descendentem videret. Verum hac accessione nimis elatus Londinum recta via tendit armatorum 4000 secum ducens sperabat enim Londinenses in partes suas deserturos esse, ut res citra sudorem & sanguinem confici possit. Verum longe aliter evenit, ad pontem enim accedens recessum comperit & in super ab armatis obsessum. Multa tamen tentavit sed sine successu, paulo post enim captus cum multis aliis inter quos & Suffolciæ Dux Janæ Pater fuit, ultimo affectus fuit supplicio. Eos, quos a mortis supplicio Regina absolvebat, in collo reatum gestantes atque in terram prostratos de precari iussit. Hæ turbæ omnes ante Philippi adventum accidebant, quibus feliciter compositis magnum apud suos impetravit auctoritatem Mariæ atque per aliquod tempus libera a male volorum insultibus thronum possedit. Donec biennio post nova in Norfolkia Uidello & Throgmartonio Coryphæis oriretur conjuratio, quæ autem maturius priori oppressa atque interna regni tranquillitas restituta fuit. Faventem profecto fortunam Mariæ in his negotiis habuit, quod absque gravi labore periculosas seditionum ignes, qui plerumque late serpere solent, restringere potuit. Verum non soli fortunæ sed prudentiæ imperantium ea in re multum est tribuendum, Cum enim pestilenciores accidere morbi in Republica non possint, quam seditiones præstantissima consilia adhibere oportet, quibus tempeptive supprimantur. Nisi angusti paginarum limites strictam poscerent tractationem, atulisset quædam Politicorum axiomata, quæ insignem in ejusmodi reipublicæ convulsio-nibus usum imperantibus dare possunt; retractis vero ab ista materia meditationibus L. B. ablego ad elegantissimam Fortæeri in Tacitum commentationem, qui insigni eruditionis apparatu satis prolixè istud argumentum pertractat, (Annal.) L. IV. p. 136.

THESIS XI.


 T H E S I S X I . I

Implicatur in bellum contra Galliam quod absque felici successu gerit, atque in eo portum Caletensem non sine gravi jacturæ sensu amittit.

Euſtorſis.

Vix sufficientes rationes allegare poterat Mariæ, quibus mota bellum contra Gallie Regem declararet, quæ propter coloribus malam causam illinire omni studebat ratione. Publicabat itaque d. 7. Jun. 1557. edictum in quo multum de injuriis sibi a Rege Gallie illatis quæstæ Northumbrii & Wiathi molimina ab isto promota fuisse pronuntiabat. Accessit quod Dudkeum & Althonum, qui seditionis suspecti apud Reginam erant, in regno suo foveret atque nuper etiam Staffordum navibus, copiis, pecunia, bellicoque apparatu instruxisset, ut de Regio throno istam derurbaret. Admonuit itaque in isto diplomate subditos, ne mercaturæ causa transfretarent, aut merces in Galliam mitterent, cujus Regem pro inimico ipsa haberet. Hos autem prætextus pro veris causis haberi non posse, liquido apparet sed potius Mariti bellum eandem provocasse certum est. Quinquennialibus enim inductis inter Philippum & Regem Gallie pactis autore Papa violatis atque bello inde oborto Mariæ communem cum Philippo causam amplecti placebat. Pessime autem habebat hoc susceptum a Maria bellum Pontificem autorem, cujus intentio erat Cæsari nocere, adeoque cum de Regina vindictam sumere non posset in Polum omnem iracundiæ vim effudit eoque magis, quod iste pape dissuaserat ne bellum contra Cæsarem incenderetur. Abrogata itaque ejus legatione eum Romam revocat ejusque loco alium designat. Initia hujus belli ex voto succedere videbantur. Galli enim copias in oppidum S. Quintini immittere fatagentes magno prælio funduntur cæsis quam plurimis, multis etiam, qui summo loco nati ferebantur, captis inter quos Memmorantius Gallie Connestabilis, Mompenserius etiam & Longevillanus duces erant. E Philippianis autem L. tantum desiderati fuerunt. Crevit inde animus Anglis, Galli autem dolore nuperæ jacturæ incensi quævis sibi tentanda censebant. Aggressi itaque sunt Caletum, quod non adeo munitum noverant atque etiam sine magno dispendio post paucorum dierum obsidionem occuparunt. In causa erat potissimum negligentia Anglorum, quippe qui monitis Philippi ex dissidentia non parentes isti urbi non sufficienter prospexerant, quod Gallis affatim cognitum erat ex relatione P. Strozæ, qui ementio habitu locum curiosis oculis perlustraverat, Regina itaque, quæ prave ex hac jactura vulnus acceperat Gallorum conatus animadvertens magna diligentia classem instruxit, quæ autem propter tempestatem adversam portu nullo modo solvere poterat. Vix aliquod invenies bellum, in quo Deus magis luculenta dederit signa, quantum abominetur ejusmodi certamina, quæ solius emolumenti & ambitionis gratia publicam inturbant tranquillitatem, Maria nostra temerariam fœderis violationem luit jactura præclaræ urbis, quam in magno habebat pretio id quod mæcere etiam læthali (quod plurimi conjiciunt) confecit eam, uti nunc omissis alijs non magni momenti rebus, ad mortem Mariæ devenientes breviter explicabimus,

THE.


 T H E S I S . X I .

Post varias vitæ & regiminis turbas mœstitia atque variis corporis affectionibus consumpta, mensē agens ultra annos XLI. decimum hac vita decessit.

Tristitiam & curas mortem attrahere verum atque perenne est assertum, quod Mariæ nostræ exemplo etiam comprobatum fuisse censeo. Ea enim cum juventutem suam inter plurimas calamitates traduxisset in regali quoque culmine non illibera prorsus ab omnibus curarum, et tristitiæ venenatis moribus fuit. Ut enim taceam vellicationes conscientiæ, quas ex tot innocentium hominum Sanguine exciitisse nullum est dubium; Solum etiam temperamentum sufficere poterat ad continuas animæ pecturbationes excitandas, quæ humanum corpus sensim contabescens affligunt atque corrumpunt. Istius impetus cum vehementius in postremis annis senferit Maria, non mirum est eo ipso mortem acceleratam fuisse. Sunt qui jacturam Caletii insignis doloris & inde profluentis morbi causam fuisse asserunt, nec leviter ista confirmatur sententia ipso Mariæ effato, quo morti proxima adstantibus significavit se quidem mori, sed mortis causam illos adhuc latere quam si perscrutari vellent, cor mortuæ discenderent, ibi Caletum inventuros. Doloris hujus incrementa ab obitu Cæsaris fœceri sui accessisse plurimi autumant: Alii desiderio abscentis Mariæ eam contabuisse perhibent. Plerique autem vitæ brevitatem speciali Dei assignant providentiæ illud Sacri Codicis: *Vir sanguine commaculati non impetrabunt dimidium vitæ suæ*, morti Regiæ adplicantes. Ista omnia, refrigerato jam dudum per morbum jecinore in hypodrem afeitem eam sensim conjecerunt, cui cum non tempestiva obverterentur media, in febriculam incidit, quæ suis paulatim aucta incrementis mortem eandem Regiæ intulit. Condita fuit Westmonasterii in medio sacelli, quod est a boreali parte monumenti Henrici VII. avi sunt. Pompam autem funebrem d. 13. & 14. Decembr. celebratam fuisse legimus, Sic. Regina, quæ in vita humano sanguine mædebat sicca tamen morte mundum reliquit, maculas autem innocenti cruore contractas, quas secutura secula perenniter abominabuntur, nemo abstergere poterit. Coronidis loco verba, quæ juxta Regiæ effigiem Tabulæ Aenæe incidi curavit celeberrimus Larejus, ut instar symboli alicujus sint, adjicere placet. Ita autem in Gallica Poesi decurrunt:

Mon Zele furieux que ma Vengeance anime
 Fit de tout mon Royaume une terrible bucher
 Philippe en eut horreur, & me vint arracher,
 Mas plus pretieuse victime.

DEO sit Laus & Gloria pro præstita Assistentia !!
Corollaria.

1. Non amplius datur inter Christianos servitus.
2. Dubitatio est via ad veritatem.
3. Dantur virtutes quædam congenitæ.
4. Verus Comœdiarum usus non immerito inter subsidia Reipublicæ emendandæ refertur.
5. Vita activa contemplativæ merito a prudentibus præfertur.

VIRO,
SUMME, REVERENDO.
MAGNIFICO. ATQVE. EXCELLENTISSIMO.
DOMINO,
HENRICO. PIPPINGIO,
SS. THEOLOGIAE, DOCTORI. IN. AU-
LA. SAXONICA. REGIO-ELECTORALI
CONCIONATORI. PRIMARIO. CON-
SILIARIO. ECCLESIASTICO. ET. PRO-
TO-SYNEDRII. ASSESSORI. DE SIN-
GULIS. OFFICIIS. SINGULARITER.
MERITO.
PATRONO, AC, AFFINI, SUO, PARENTIS.
AD. INSTAR. DEVENERANDO,
HASCE. PUBLICORUM. IN. ACADEMIA. PATRIA-
LABORUM. PRIMITIAS.
DAT. DICAT. CONSECRAT.
IPSI. FILIALI. OBSERVANTIA.
OBSTRACTUS. AUTOR:
CHRISTIANUS. GOTTLOB.
SELIGMANN.
LL. STUD.

*Vir Summe Reverende Magnifice atque
Excellentissime,
Affinis Parentis ad instar Devenerande;*

Singularis Tua in me benevolentia est, quæ facit ut leves has atq; tenues studiorum meorum primitias, quas præternativam simplicitatem nullus ab externo splendor commendare potest, veluti aliquem ingenii mei censum in ærarium Tuum conferre Tibiq; consecrare audeam. Ut enim taceam privata illa Tuæ in me voluntatis argumenta, quibus statim ab eo tempore, quo mihi arctiori affinitatis vinculo tecum connecti contigit, studia mea mirifice exornare atque profluentem inde salutem sollicitè promovere nunquam destitisti: Accedit alia adhuc publica causa, quam non publico gratæ mentis specimine remunerari velle

velle ab omni humanitate remotissimum foret. Scilicet non leviter Tua, Affinis Colendissime, singularis humanitas me obstrinxit, qua motus eruditissimam exercitationum TUARUM, quas, virile undique spirantes iudicium, juveniles per modestiam appellitare placuit, fascem aliquot abhinc annis editam tenui nomini meo inscribere eoque ipso amplissimi in me affectus testimonium edere dignatus es. Tenera tunc temporis erat ætas mea, nec iis polita studiis, quibus ad referendam gratiam parem opus esse deprehendebam, ut exinde vel invitus grati animi publicam declarationem in maturiores annos differre coactus fuerim. Nunc autem licet tenues etiamnum & inbecilles ingenii sentiam vires, eo majori tamen voluptate ad præstandum illud officium devenio, quo vehementius hætenus in præcordiis desiderium aliquam debiti partem solvendi æstuavit; quod tum facere audeo tua imprimis, Vir Magnifice,
be-

benevolentia est exoranda, sine qua levis hic atque immaturus ingenii foetus TUUS meritis nequaquam condignus haberi poterit. Equidem in id imprimis incubui, ut eximio tuo exemplo incitatus perfectissimum laborum Tuorum exemplar exprimere aliquantisper possem; Id vero, quo Successu praestitum fuerit, TUAE erit prudentiae, quam mihi pronam reddet affectus iudicare. Scilicet non praestantiorum mihi ad optimarum artium Sacra tendenti viam existere possent, quam quae juxta B. Parentis & TUIA Vir Magnifice, quem eruditionis & Virtutis laudes ad eundem honoris gradum evexerunt, vestigia ostenderet, non tantum cum voluptate eam ingredi, sed & strenue pergere atque vos, licet non passibus aequis sequi placuit, ut maturior aliquando aetas perfectiores etiam Vestrorumque similes fructus exhibere queat. Placebunt interim quod confido, bonae mentis conatus, quos sicuti in flore juventutis in perenne pietatis in Temeae monumentum, TIBI conlecco; ita per omnem aetatem summa cura eos in Tutum convertere studebo. Vale Affinis Colendissime atque paterno affectu, quo haecenus me complexus, singularem studiorum meorum curam fovisti, perpetuo mihi conserva. Vale!



VIRO JUVENI
Nobilissimo atque Doctissimo
DN. CHRISTIANO GOTTLOB
SELIGMANNO,

L. L. Studiofo Perindustrio

S. P. D.

PRÆSIS.



*P*osteaquam divina providentia & eorum, qui TAM
salutem curant, jussu factum est, Dilectissime Se-
ligmanne, ut in hanc delatus Academiam
qualicumque cura atque institutioni mea tradere-
re, magnopere quidem gavisus sum cum in Te præ-
ter singularem animi candorem, egregiam indo-
ctem atque solers ingenium deprehendi, quo ad summa quævis eniteba-


re; Nihil tamen majorem cum tenerrimo amore mihi de TE excitavit fiduciam, quam quod in ea potissimum studia TE amirentem vidi, quæ, remotis oriosarum speculationum tricis, cultores suos republicæ verè utiles atque principibus viris acceptos reddere possunt. Cum itaque DEUS tam insignia bonæ mentis ornamenta TIBI largitus fuerit, quæ patria amplam de TE spem excitare queunt; nihil sanctius mihi duxi, quam, quod muneris mei in cuius partem ascitus fueram, ratio postulabat, eo omnes ingenii mei nervos intendere ut conatus tam laudabiles omni ex parte promoverentur. Intra privati autem stadii limites ista TUA se hæctenus exeruit virtus, quibus diutius includi igneum atque sublime non ferebat ingenium, ne quod dejecta mentis indicium solet esse, publicæ utilitati aliquando consecratus, lucem refugere viderere.

Progrederis itaque in publicum Tuæque indolis & eruditionis præclarum edis specimen, eruditorum exhibens censuræ opusculum quod studiis politicis, quibus maxime delectaris, potissimum noveras conveniens. Dignum profecto in eo Magni Patris Filium TE præstas, qui in florida juventute præclaris conatibus orbi erudito significas ac veluti sub aliquo pignore polliceris, qualis olim futurus sis quando sublimioribus imbutum doctrinis ad majora & maturior ætas & ætherea TUA TE populerit virtus. Jam eximiam TIBI comparasti eruditionem in adolescentia egregiis Gymnasti Zittaviensis exercitationibus; in Juventute Academia nostræ acroastibus feliciter excultus, ut cum splendidissima familia omnes, quorum constans etiam post mortem erga B. Parentem est veneratio, amplissimam de TE spem concipere possint. Perge igitur, Amice suavissime, strenuus in isto stadio

adio, quod eum magna omnium expectatione feliciter ingressus es, atque difficultates, quae ad honoris templum tendentibus obveniunt, masculo sperne animo, sic nominis TULLI, quod jam inter celeberrima habetur, memoriam certissime aeternitati commendabis. Habes laudatissima B. Parentis Theologi summi & B. Maximi Patris Politici praestantissima vestigia, iis cum indefesso animi fervore insiste; utriusque perfectissimum exemplar ante oculos pone, quorum alterum in solida atque genuina pietate, quae potior eruditionis nostrae pars est, imitari; alterum in prudentia politica acquisitione cum emolumento sequi poteris. Mortuos hos vita studiorumq. Tuorum TIBI sesto Magistros, ut intelligas eos etiam post fata ad felicitatem viam monstrare. Vivos quoque habes in utroque hoc stadio Duces, quorum consiliis cum sapius cum singulari fructu utaris, non opus est, ut eos cum prolixo encomio, licet maxime mereantur, tibi designem. Nosti scilicet quantam Tui curam foreat Venerandus Saxoniae Praesul; nec levia studiis politicis adjumenta affert Celebris quidam in hoc nostro Tiberio JCIUS, quorum utrumque arctissimo affinitatis nexu conjunctum habes. Dum itaque pergis dum in vires summis rebus maturas TULLIA virtute assurgis, TIBI interim in hereditatis partem Laus B. Parentis, summa ejus virtus & rara humanitas erunt, quibus SELIGMANNIANUM NOMEN aeternam obtinuit memoriam. Sic letabitur in TULLIA virtute Honoratissima Mater quae piis precibus atque domestica cura strenuo pro TULLIAE salutis incrementis vigilat; Gratulabitur sibi splendidissima Familia de spe feliciter impleta atque de insignibus fama augmentis, quae ex TE unico SELIGMANNIANAE stirpis surculo late propullulat; Gaudebunt omnes, qui ob plurima insignia merita SELIGMAN-

MANNIANUM nomen in pretio habent. In quorum
cum & ego sim numero, & amoris erga TE mei & officii quo toti
Familia TUAE obstringor ratio exigit, ut, qui ab amplexibus TUIS
avulsus TIBI ut haecenus adesse prohibeor, plus tamen semper pre-
sens sim votis. DEUM itaque serio precor, velit exoptata studiis
TUIS incrementa largiri atque ad eum deducere scopum, quem TUA
virtus propositum habet. Largiatur TIBI caelestem sapientiam ex qua tan-
quam perenni fonte omnis nostra salus atque felicitas fluit, ut spreis levi-
um animarum illecebris ad genuinam atque sublimem emitaris eruditionem
in ea vero jucunda laborum obtineas premia. Atque haec TIBI certe
eventura esse scito tumque TE revera fore SELIGMAN NUM cum
TIBI rectum eruditionis elegeris scopum Vale AMICISSIME SE-
LIGMANNE Tuumque amorem quo me haecenus amplecteris
mibi perpetuo conserva! Scrib. Lipsiae ip[s]is Kal. Mart.

A. O. R. cl. lxxii.



00 A 6280

ULB Halle

3


002 828 09X




Sb.

rehe







14

MARIAM I.
REGINAM. ANGLIAE.

QVIBUSDAM. POLITICIS. ET. MORALIBUS. OBSERVATIONIBUS.
ILLUSTRATAM.

INDVLTV. INCLYTAE. FACVLT. PHILOSOPH.
IN. ACADEMIA. PATRIA.
SUB. PRAESIDIO.

VIRI. PRAECELENTISSIMI. AMPLISSIMI. QVE.

DOMINI
M. AMANDI. GOTTHOLD.
FEHMELII.

FACULTATIS. PHILOSOPHICAE. IN. ACADEMIA. LIPSIENSI.
ASSESSORIS. ET. COLLEGH. EQVESTRIS. QVOD. BRAN-
DENBURGI. FLORET. DIRECTORIS. VOCATI.

FAVTOVIS. AC. PRAECEPTORIS.
SUI. COLENDI.

D. IV. MARTII. MDCCXIII.

H. L. Q. C.

PLACIDAE. ERUDITORUM. CENSURAE.
EXPONET.

AUTOR. ET. RESPONDENS.

CHRISTIANUS. GOTTLOB,
SELIGMANN. LIPS.
LL. STUDIO S.

TYPIS. CHRISTOPH. FRIDERIC. RUMPF.